This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Class
7546
3

Class 7546.3

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics), or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books."

Class 7546.3

PANATHENAICA.

AUCTORE

HERM. ALEX. MUELLER,

PHIL. DR.

BONNAE,

IMPENSIS LIBRARIORUM KOENIG ET VAN BORCHAREN.

MDCCCXXXVII.

PROSTAT LONDINII ANGLORUM APUD BLACK ET ARMSTRONG,

ET

LUTETIAE PARISIORUM APUD HEIDELOFF ET CAMPE.

Harvard College Library
Apr. 26, 1899
Constantius Fund.

Μάλιστα ἐν ταῖς πανηγύρεσιν ἀσπαζόμεθα τὴν κοινὴν καὶ ὁμονοητικὴν ζωήν.

Proclus.

GUILELMO ERNESTO WEBER

HUNCCE LIBELLUM

EX ANIMO GRATO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Etsi recentior antiquitatum Graecarum scriptor cuius opus ea ratione ac lege, qua res tractavit, admodum excellit, *nulla re hominis ingenium magis defatigari, quam lata dierum festorum enarratione*, dicit: nihilominus tamen a re proposita me abduci non sum passus, speràns huius opinionis levitatem tam apertam fore, ut neque ego, nec lecturus ipse minime defatigaremur. Cuius spei pars quae ad me attinet, me non fefellit, quod idem lecturo contingere vehementer cupio. Ac nescio, quomodo eum qui per totam vitam nonnisi id sibi proposuit, ut vividam antiquitatis i. e. Graecorum maxime imaginem mente conciperet, ulla omnino horum studiorum pars delectare plane nequeat, praesertim si materiam tantum antiquitatis spectàs. Quis autem infitias ibit, notitiam vitae et naturae Graecae descriptione dierum festorum, e quibus populi ingenium atque indoles semper apertissime elucet, magnum capere incrementum? Neque vero sufficit, omnibus veterum locis in unum collectis, res simplices merasque ex ordine

enumerare, id quod talem rei imaginem nunquam nobis suppeditabit, ut quasi una cum Graecis festum celebrare possimus, sed in tractanda hacce materia id maxime spectandum esse videtur, quomodo et quatenus singuli scriptorum loci et inter se et cum artis monumentis cohaereant atque consentiant, ita ut utrisque rebus una quasi rei imago in animos nostros irrumpat. Quae sola ratio ac via esse videtur, qua ad maiorem antiquitatis Graecae cognitionem pervenire possimus. Eae enim horum studiorum partes quae in describendo deorum cultu ac vitae domesticae statu versantur, ex scriptis solis monumentis in lucem proferri non possunt, sed sicuti ad vitam Graecorum publicam illustrandam nihil maius auxilium affert, quam inscriptionum copia, ita in illis antiquitatis partibus monumenta artis consulenda sunt, siquidem omnino totam hanc materiam in tres partes dividere nobis licet, quod haud scio an non possit probari.

Sed non solum ex illo Wachsmuthii libro apparet, quam diligenter nostri temporis doctissimus quisque ab antiquitatibus sacris declinet, verum etiam ex universo huius materiae statu orbato, qualis nunc quidem est, facile intelligitur, quam late in hoc campo amplissimo virorum doctorum industria vagari possit. Cuius rei duplex caussa afferenda esse mihi videtur. Deorum enim cultus, qualis apud Graecos locum habebat, ab altera parte in ritibus caerimoniisque sacris positus erat, atque ita quidem, ut quo altius ascendamus, eo saepius deos externo caerimoniarum honore cultos esse inveniamus, quod idem fere Isocrates de priscis Athenien-

sibus dicit. Nesciunt autem plerique quo loco et ordine ponenda sint haec sacra, quae partim cum tota deorum natura tam arcte cohaerent, ut eam persaepe quasi in lucem proferant, partim cum civitatis forma institutisque coniuncta sunt. Plerumque igitur non minus de deorum natura cultuque quam de civitatum institutis, omissis ritibus muneribusque sacris agi solet. Altera est autem caussa in eo posita, quod homines docti intelligere videntur, se sine monumentorum artis studio ad sacra publica describenda accedere non posse. Quorum monumentorum tota fere doctrina, quum adhuc in elementis versetur, non modo antiquitatibus sacris lumen nondum attulit, sed ne in fabulas quidem deorum explicandas vim suam ubique exercuit. Ea enim sententia iam dudum refutata est quae fabulas istas antiquissorum temporum nihil nisi mera cogitationis commenta esse dicit, atque philosophos demum cohaerentiam rerum divinarum humanarumque explicare studuisse, ita ut postero demum tempore veterum deorum simulacris sententia subiecta sit. Immo cuncta deorum veneratio ex fidei sensusque fundamento orta est, quo solo omnis vita divina contineri videtur; itaque apud Graecos quoque fabulae sacrae non ex poetarum demum ingenio, sed ex populi ipsius mente nascebantur. Rectissime enim Graecia vocatur *μυθοτόκος Ἑλλάς*. Atque omnis doctrina humanitasque a rebus divinis fabulisque initium cepit, nam *φιλειδήμων ὁ ἄνθρωπος· προοίμιον δὲ τούτου τὸ φιλόμυθον* [1])

1) Strabo I. p. 18.

Neque ulla gens inveniri potest quae vel in disciplina aliqua vel in vitae privatae statu multum profecerit sine rerum divinarum cognitione, nisi forte negare vis, Graecos Homeri tempore iam ad altum humanitatis gradum pervenisse.

Graecos autem prae aliis populis quaecunque mente agitabant imagine expressisse, tam e testimoniis scriptorum quam ex ipsis monumentis superstitibus apparet, quum non ii tantum quibus natura favebat scientiae artis participes essent, sed cuncta gens doctrinam sacram monumentis expressam penitus perspiceret. Itaque nec Bernhardii [2]) V. Cl. sententiam comprobare possum, qui scripta tantum monumenta, non artis opera veros mythologiae fontes habenda esse dicit, neque Vossii, qui ad fabulas explicandas libros maxime consulendos esse censet, ita ut monumentorum artis testimonia nihil nisi additamenta supervacanea sint. Sed non solum fabulas deorum ipsas magnam partem arte expressas esse ex eius monumentis intelligi licet, ita ut merito coniiciamus, ne unam quidem ab artificibus praetermissam esse, verum etiam tot opera vel ad nostram memoriam pervenerunt, vel a scriptoribus tantum commemorantur, in quibus ritus aliquis vel caerimonia ob oculos posita erat, ut nihil ineptius esse possit, quam si quis haec monumenta non respiciens antiquitates sacras explicare velit. Nam sicut is, qui Iudaeorum historiam et antiquitates describere sibi proposuit, eorum vim rationemque divinam ante omnia

2) Encyklop. d. Philol. p. 327.

respicere debet, ita etiam Graecarum antiquitatum maxima pars artis monumentis illustranda esse videtur. Qua re id minime negatur, in quaque disceptatione primum quidem e scriptoribus locos afferendos esse, qui vel ipsam rem nobis suppeditant, vel similia eo modo attingunt, ut de illa multa coniicere nobis liceat. Quaerendum est autem, utrum et loci inter se et coniecturae cum locis consentiant, ita ut ex utrisque natura atque indoles totius rei oriatur. Nihil enim intelligimus, nisi rei continuatione serieque ita demonstrata, ut alia ex aliis nexa et omnia inter se apta videantur. Ad quam rerum caussam recte perspiciendam in ritibus sacris tractandis pervenire non possumus, nisi cum scriptorum locis monumenta artis, quae exstant, comparantur. Quid enim, ut exempla afferam, imaginem adolescentium pompam Bacchi comitantium nobis praebet, quid tam accurate de inferiis libationibusque nos admonet, quam vasa fictilia, quid denique sacrificiorum caerimonias tam aperte ob oculos nobis ponit, quam anaglypha Graeca? Apparet igitur, quantam utilitatem et fabulis deorum ipsis explicandis et caerimoniis Graecorum intelligendis monumenta artis afferant, ita ut magna vasorum Volcentium copia non minus ad antiquitates sacras quam ad historiam artis explicandam maximi sit momenti. Dolendum est autem, quod haec copia iam ante hos octo annos inventa nondum maiorem in antiquitates cognoscendas vim exercuit, cuius rei id maxime in culpa esse videtur quod pauca tantum horum vasorum edita recteque illustrata sunt.

Iam quum permultae antiquitatum sacrarum partes nondum diligenter tractatae sint — quis enim de sacrificiis, de oraculis, de sacerdotio egit? — haud ineptum mihi videbatur, Panathenaea, summum Atheniensium festum, describere, ita tamen, ut magis aliorum vires quae meas superant ad haec studia excitarem, quam ut ipse rem difficilem absolvisse mihi viderer. De diebus enim Graecorum festis, quamquam magnam deorum cultorum partem complectuntur, nemo tamen ita egit, ut inter omnes de singulorum festorum caerimoniis multa constarent. Neque qui inter recentiores hanc rem tractavere permulti sunt. Veteres quidem scriptores saepe commemorantur, qui de festis egerunt, quos Harpocration [3]) verbis *οἱ περὶ τῶν ἑορτῶν γράψαντες* comprehendit, ex quibus non parvum fuisse horum numerum intelligitur. Sed et horum omnium scriptorum et eorum qui de antiquitatibus Atticis egerunt, libri quum paene prorsus perditi sint, ex aliorum operibus loci perquam dispersi colligendi atque in ordinem redigendi sunt, ex quibus singulae res, quantum fieri potest, in lucem proferantur oportet. Maxime est igitur dolendum, interiisse Philochori [4]) et Theophrasti [5]) libros, quos *περὶ ἑορτῶν* scripserant, quo ex fonte summa harum rerum notitia nobis contigisset. Porro Dicaearchus, Aristotelis aetate paullo posterior, conscripserat libros *περὶ μουσικῶν ἀγώνων*, inter quos

3) s. v. *Ἀπατούρια*. Iisdem verbis utitur Proclus ad Plat. Tim. pag. 9.
4) Harpocrat. s. v. *Χύτροι*.
5) Diog. L. V. 47.

etiam ὁ Παναθηναϊκὸς erat [6]). Similes res continuisse videtur Plutarchi ἡ τῶν Παναθηναίων γραφὴ ἡ περὶ μουσικοῦ ἀγῶνος, quam ipse laudat in libro de Musica 7). De certaminibus praeterea scripserant Callimachus 8) et Philochorus 9). Huc spectant etiam Istrus, Hellanicus et Androtion quorum libros Ἀτθίδων de feriis Atticis multa prodidisse verisimile est, atque si sacrificiorum rationem habes, non minus magnam sumeremus notitiam ex libris quos scripserat Crates περὶ τῶν Ἀθήνησι θυσιῶν 10).

Inter recentiores autem scriptores de festis Graecorum egerunt Meursius et Castellanus, quorum ille de Panathenaeis librum singularem edidit, ita tamen ut pro sua consuetudine nonnisi locos scriptorum collegerit. Supplevit horum libros de festis Graecorum Larcher in commentatione *sur quelques fêtes des Grecs omises par Castellanus et Meursius* in *Mém. de l'Acad. des Inscr. T. XLVIII. p.* 252 *sqq.* Librum perabsurdum de festis scripsit M. G. Hermann, *die Feste von Hellas.* Denique nuperrime de Panathenaeis egit Hoffmannus (Cassellis 1835) qui librum suum archaeologicum vocat. Quod vocabulum ne perperam intelligas bene est cavendum; nam res archaeologicae frustra hic quaeruntur. Atque etiam de rebus ipsis quae in Panathenaeis fiebant, tam pauca comperies,

---

6) Cf. Naeke im Rhein. Mus. I. p. 40 sqq.
7) p. 1134. A.
8) Harp. s. v. Ἀκτία.
9) Suid. s. h. v.
10) Suid. s. v. Εἰρεσιώνη.

Harvard College Library
Apr. 26, 1899
Constantius Fund.

Μάλιστα ἐν ταῖς πανηγύρεσιν ἀσπαζόμεθα τὴν κοινὴν καὶ ὁμονοητικὴν ζωήν.

Proclus.

GUILELMO ERNESTO WEBER

sive externam rei naturam apud Graecos admodum praevaluisse, ex artis maxime operibus intelligitur, quum eos in fastigio et architecturae et plastices stetisse minime negari possit. Itaque etiam deorum cultus quum sensibus maxime subiectus esset, non tam in intimo Graecorum pectore locum habebat, quam in ritibus caerimoniisque externis, unde factum est, ut deos humana specie formaque sibi fingerent.

Quorum rituum maxima pars et privatim et publice celebrabatur, ita tamen, ut quum Graeci omnia ad civitatem referrent, quia singulorum hominum vita in civitate degenda erat, ritus publici privatos superarent. Itaque etiam dies festi magnam partem publici erant, quum plerumque ad deos civitatis eorumque venerationem pertinerent. Sed non solum in deorum honorem festa agebantur, verum etiam in heroum hominumque; quamobrem ea quibus hominum facta in memoriam revocare volebant, persaepe ad singulas tantum familias vel gentes spectabant. Ex publicis autem quos Graeci habebant, diebus festis apparet, eos memoriam rei alicuius sive a diis sive ab heroibus hominibusque gestae hac re renovare voluisse, ita ut haec memoria certo temporis spatio rediret. Privati vero plerumque ita comparati erant, ut praesens aliquod factum familias vel singulos homines attingens illustrarent ac magnificentius redderent. Itaque huius facti memoriam in posterum non amplius redintegrabant, quia semel tantum magni momenti erat. Huc spectant verbi caussa τὰ γαμήλια, προτέλεια, ἀμφιδρόμια aliaque id genus sollemnia. Homines autem quum nonnisi earum rerum prius gesta-

rum libenter recordentur, quae gaudium iis attulerunt, necesse est, dies festos publicos quidem omnes, privatos maximam in partem laetam prae se ferre formam. Quin etiam inter privatos *νεκύσια* quae in honorem defuncti ipso mortis die agebantur, non admodum tristia fuisse videntur, quum veteres mortis vitaeque futurae non funestam imaginem animo conciperent, quamquam Achilles se agricolae pauperi inservire malle quam mortuis imperare dicit [1]). Neque vero inter eos dies festos qui deorum colendorum caussa agebantur, neque etiam inter eos qui rem aliquam gestam celebrabant, ullum invenio, qui moestitia Graecos impleverit.

Ad naturam autem festorum Graecorum rectius perspiciendam Strabonis [2]) considerandus est locus ille, quo id esse Graecis cum barbaris commune dicit, ut sacra facerent diebus festis animum remittentes; atque hoc, pergit, natura iis suggerit. Quo ex loco apparere videtur, sacra fere omnia diebus festis facta esse, atque

---

1) Od. XI. 489. Ad beatam potius mortuorum conditionem spectat vox *οἱ καμόντες, οἱ τεκμηκότες*, h. e. ii qui vitae labores pertulerunt. Atque etiam Aeschyli tempore Eleusinia felicem fore mysteriis initiatorum conditionem docebant, cuius rei simulacrum suave in ipsis mysteriis celebratis ostendebatur. Et quum poetae hymnis epicis mortuorum vitam futuram tanquam convivium aeternum canerent, Graeci ad mortem depingendam scenis ex fabulis Bacchicis desumptis utebantur, cuius rei multa monumenta adhuc supersunt. Itaque coenas illas familiarum in cippis sepulcralibus anaglypho expressas (Winckelm. Mon. ined. 19 20. Gerh. Ant. Bildw. 76.) ad haec *νεκύσια* referendas esse censeo.

2) X. p. 467. *κοινὸν δὴ τοῦτο τῶν Ἑλλήνων καὶ τῶν βαρβάρων ἐστί, τὸ τὰς ἱεροποιίας μετὰ ἀνέσεως ἑορταστικῆς ποιεῖσθαι κ. τ. λ. καὶ τοῦτο ἡ φύσις οὕτως ὑπαγορεύει.*

ita quidem, ut his negotia cessarent. Sicuti autem tota Graecorum religio sensus hominum magis movebat, quam mentis cogitationes, ita etiam diebus festis quibus sacra cuiusvis generis fiebant, animum remittebant, quippe quum cum diis colendis delicias humanas, verbi caussa ludos scenicos gymnicosque, saltationes aliasque id genus voluptates coniungerent. Ex antiquorum enim populorum sententia nullo pacto fieri poterat, ut sacrificiis precibusque otium replerent. Etsi enim idem quem modo laudavi scriptor remissionem animi a negotiis humanis abducere atque ad res divinas nos convertere dicit, tamen haec verba non ita intelligenda sunt, ut ab his rebus divinis delicias omnino alienas fuisse credas. Omnes enim res humanas, quin etiam gaudia libidinesque quae corporis sensus movent, cum deorum cultu a Graecis ita coniunctas esse constat, ut nonnullis diebus festis corporis tantum voluptatibus sese darent. Neque ullum fere festum a Graecis celebratum invenies, quo deos sacrificiis tantum vel precationibus colerent, quum etiam in sacris faciendis epulae haberentur. Neque vero omnes dies festi tali modo celebrabantur, ut sensus maxime excitarent, sed plerique ad simplicem deorum venerationem spectabant. Nam a singulorum deorum indole modus quo festum ageretur, dependebat. Ante omnia vero artium liberalium exercitatio ut cum toto deorum cultu, ita cum festis agendis cohaerebat, quae res sacris Graecorum magnam praebuit iucunditatem. Unde etiam Strabo enarratis iis rebus, praesertim artibus quae ad sacra agenda vel necessariae sint, vel multum ad ea exor-

nanda conferant, eam quidem sententiam laudat, ex qua homines maxime bene faciendo deos imitantur, hunc tamen in modum corrigit, ut ὅταν εὐδαιμονῶσιν adiiciat. Quam εὐδαιμονίαν non Stoice in virtute exercenda ponit, id quod a genuina Graecorum indole discrepat, sed in gaudiis percipiendis, in festis agendis, in philosophia artibusque ingenuis exercendis. Quae quidem verba ex intimo quasi Graecorum pectore nata esse videntur, quum his rebus eorum vita felix contineatur.

Quo Strabonis loco considerato, eo facilius apparebit, quae sit prima ac principalis festorum celebratorum caussa. Quae res tum e notione diei festi quam supra posuimus, tum ex ipsa deorum Graecorum natura sequi videtur. De historicis quidem feriis, quarum plurimae definitam ansam habebant, quaerere non opus est, quippe quum has ex nulla alia re, nisi ex certa aliqua re gesta vel facto originem duxisse manifestum sit, qua de caussa certo illo die agebantur, quo res cuius memoria digna erat quae a posteris celebraretur, facta erat. Itaque quum harum pleraeque ad victoriam aliquam reportatam pertinerent, huius generis multae feriae Iovi Liberatori sacrae erant. Simili modo res sese habet, si privatos dies festos spectas, inter quos etiam eos numerari licet qui ab hominibus diversis ordinibus adscriptis celebrabantur, sicuti Apaturia illa Ionica, quae digna sunt, quibus tandem aliquando a viris doctis lumen afferatur. Id enim, quod his diebus festis fiebat, eorum originem caussamque aperte indicat.

Iam nobis naturam feriarum omnino perspicientibus manifestum est, earum quae certo deo sacrae erant atque totam civitatem spectabant, ansam quaerendam non esse in agendis gratiis pro frugibus agrorum demessis, sed in tota deorum indole, quippe quum hi antiquissimis temporibus naturae vires repraesentent. Unde factum est, ut Graecorum feriae primum ad naturae legem ordinemque, quibus rebus anni cursus constituebatur, sese conformarent. Videmus enim, quatenus anni spatium feriarum fundamentum sit, praecipuas Graecorum ferias solares i. e. anniversarias, et lunares esse. Huc accedit quod Graeci, ut ex illo Strabonis loco sequitur, in sacris quibuscunque faciendis libenter animum remittunt, neque igitur mirum, si etiam in gratiis pro messe facta agendis dies festos agunt. Tamen prima festorum celebratorum ansa in messibus faciendis quaerenda non est, sed arripiebant Graeci hanc occasionem, ut studio suo feriarum indulgerent.

Feriae autem maiores quae quasi deorum cultorum externa imago erant, ipsam huius cultus speciem ita prae se ferunt, ut id quod in feriis fiebat, cum singulorum deorum, in quorum honorem singulae feriae institutae erant, indole conveniat. Duas igitur quum res inveniamus, quibus potissimum externa Graecorum religio contineatur, partim sacrificia, preces aliaque sollemnia quae pietatem erga deos excitant et augent, partim ludos omnis generis et delicias quibus Graeci ad deos colendos suaviter impelluntur: his utrisque rebus Graecorum ferias maiores contineri statuendum est.

Qua ex re earum notio et natura dilucide apparere videtur, nam omnia et divina et humana vero et germano gaudio afficiebantur, quippe quum dii sacrificiis precibusque delectari putarentur, homines autem ludis, epulis, saltationibus gauderent. Accedit quod in feriis plerisque singulorum deorum res praeclare gestae, quibus in mortales beneficia detulerant, in populi conspectum producebantur. Etenim vel ipsarum rerum imago ostendebatur, ut in Eleusiniis celebratis agricultura instituta et in Argivorum Heraeis ille Iovis et Iunonis ἱερὸς γάμος, vel hominibus festum celebrantibus dei beneficia sollemnibus quibusdam in memoriam revocabantur, sicuti in Daphnephoriis laureae circumferebantur eo die quo Apollo lauream decerpsisse dicitur. Quae quidem res plerumque in pompis publicis fiebant. Et quum omnes fere dies festi, ut supra diximus, hilari modo celebrarentur, et populus animum remitteret, necesse est, labores omnis generis et iudicia cessasse [3]), quin etiam in multis feriis captivos dimissos esse invenimus, ut non solum in Dionysiis, sed etiam in Panathenaeis atque in Thesmophoriis [4]). Qui-

3) Schol. Ar. Vesp. 663.

4) Schol. qui vocatur Ulpianus (ad Demosth. adv. Timocr. p. 740.) in Panathenaeis captivos carcere dimissos esse tradit, quod idem ille de Dionysiis refert (adv. Androt. p. 614). Atque quum Marcellinus (ad Hermogenem) idem etiam in Thesmophoriis in more fuisse dicat, errare mihi videntur Boeckhius (Ueber d. Lenäen §. 24) et Welckerus (Nachtr. Tril. Prom. p. 196) qui hoc nonnisi in Dionysiis factum esse dicunt, cuius rei caussam ille Bacchum Liberatorem affert. Etiamsi enim magna scholiorum qui Ulpiano attribuuntur pars e Demosthene ipso perverse sumpta esse videatur, caussam tamen equidem non video, cur hic scholiastae diffidamus, quum mo-

bus ex rebus apparet, quam lautam suavemque vitam Graeci in festis degerint, quantaque eorum omnium laetitia fuerit, quum etiam pauperes in feriis Graecis cantui et saltationi sese darent.

Sed maiores tantum Graecorum feriae eo modo agebantur, ut per plures dies populus in otio viveret, atque ita quidem, ut dierum numerus vel a singulorum deorum natura, vel a rebus ipsis quae in feriis fiebant, dependeret. Alias enim maiorum feriarum per tres dies actas esse scimus, sicuti Anthesteria et Apaturia, alias per septem dies, sicuti Eleusinia, quae res etiam de nonnullis Apollinis feriis ex huius dei numero coniici licet. Maximum autem dierum festorum numerum esse Panathenaeorum infra exponetur. Athenienses enim ante omnes Graeciae populos ad festa celebranda propensi erant, id quod cum serena indole Ionum, in quorum civitatibus imperium penes populum, feriarum amantem, erat, optime convenit. Nunquam enim melius quam diebus festis divites populo pecunias largiri poterant, quum hac occasione aliorum qui populi potestati non favebant, neque indignationem neque ambitus suspicionem in se converterent. Rectissime igitur Xenophon [5]) numerum dierum festorum ab

---

rem illum captivorum in feriis dimissorum etiam apud alios antiquitatis populos fuisse constet. Et quum illi scholiastae loco qui ad Dionysia pertinet, fidem habeamus, non est quod reiiciamus ea quae de Panathenaeis tradit, praesertim quum Marcellinus cuius quidem testimonia plerumque parum accurata esse non infitior, eundem morem Thesmophoriis vindicet. (Cf. Wellauer de Thesmoph. p. 36).

5) De rep. Athen. III. 8.

Atheniensibus celebratorum altero tanto maiorem esse dicit quam reliquarum Graeciae civitatum, id quod facile perspici potest ex heortologiis Meursii et Castellani. Plurimos autem Tarentini habuisse videntur 6), qui a simplici civitatis patriae vita tantopere discesserunt, ut ad ferias agendas non pietate erga deos, sed splendoris et luxuriae studio adducerentur. Quanto autem cum amore studioque Athenienses dies festos egerint, optime apparet ex Demosthenis 7) loco, qui eos accusat, quod ad classes ornandas non tam strenue sese gerant quam ad Dionysia et Panathenaea celebranda. Unde factum est, ut in horum potissimum splendorem Athenienses profusos sumptus suppeditarent 8).

Atque festa quum, ut infra videbimus, cuiusvis fere generis sacra continerent, tanta auctoritate dignitateque fruebantur, ut prope omnes Graeciae incolae his occasionibus in eam, quae festum aliquod maioris momenti celebrabat, civitatem convenirent, qua de caussa ea quae publica et omnibus Graecis communia erant, *πανηγύρεις* vocabantur, i. e. sollemnia, quibus omnes sive totius Graeciae, sive unius civitatis homines congregantur. Antiquissimis enim temporibus civitatum singularum corpus tot membris inter se cohaerentibus constabat, ut horum pleraque sua festa haberent, quibus alia non intererant. Itaque substantivum *πανήγυρις* quum ad hominum maxime congregationes sol-

6) Strab. VI. p. 193.
7) Philipp. I. p. 50.
8) Quam rem pluribus exposuit Boeckhius Staatsh. d. Ath. I. 224 sqq.

lemnes spectet, Graeci ad omnis generis festivitatem, quae ex otio capitur, designandam vocabulo ἑορτὴ utebantur, ita ut ἑορτὴν et homo singularis et multitudo populi agere posset. Quaeque enim res, qua aliquis delectatur, ἑορτὴ vocari potest 9), etsi hoc substantivum a verbo ὁράω derivandum est, unde nihil nisi spectaculum esse apparet. Praeterea etiam apud posterioris temporis scriptores vox πενταετηρίς, quae plerumque quamque quatuor plenorum annorum periodum significat, eo sensu invenitur, ut ipsum festum quinto quoque anno rediens significetur. Etsi enim, si accurate numeras, festum quarto quoque anno agitur, tamen ex veterum numerandi more et annus quo festum ultimum actum erat, et quo festum iterum redibat, annumeratur 10). Atque maiora quidem Graecorum festa pleraque quinto quoque anno celebrata esse, satis constat; attamen hoc non ab initio ita fuisse multi recte coniecerunt, ita ut sine dubio non solum Pythia, sed etiam alia maiora Graecorum sollemnia nono quoque anno rediisse, statuendum sit. Magnus enim ille annus a scriptoribus commemoratus, qui spatium octo annorum solarium complectitur, quum usu receptus esset, tempus festorum celebrandorum constituit, itaque postea demum Graeci eo venerunt, ut singulis annis magnis festa maiora bis agerent. Certa tamen huius rei testimonia de Pythiis tantum inveniuntur apud Apollodorum 11). Neque vero credendum est, festa illa

9) Thuc. I. 70.
10) Cf. Boeckh. C. I. Vol. II. p. 306.
11) Vid. Mueller. Orchom. p. 218 sqq.

quinquennalia reliquis tribus annis celebrata non esse, sed quinto quoque anno cum maiore agebantur splendore, qua de re infra in Panathenaeis ipsis dicetur.

CAPUT II.

Inter omnes Atticas Minervae ferias [1]) Panathenaea invenimus et antiquissimis et posterioribus Graeciae temporibus summo in honore splendoreque fuisse. Cum tota enim Atheniensium dignitate civili magis cohaerent, quam reliquae feriae et Minervae et aliis diis sacrae. Verba, quae potissimum grammatici, lexicographi et scholiastae de huius festi dignitate dicunt [2]), non ad eam referenda sunt vim, quam festum in cunctam Graeciam exercuerit, quia hac ratione habita, Olympia, Pythia, quin etiam Dionysia maiora ab Atheniensibus celebrata in maiore dignitate erant, quam Panathenaea. Sed splendore ludorum pompaeque in Minervae honorem ductae omnes alias ferias superabant Panathenaea, quorum vis civilis iam ex nomine ipso ita apparet, ut ex hoc quasi coniunctum esse deae cultum et civitatis potestatem videamus. Legimus enim antiquissimis tem-

1) Harum expositio hic omitti posse videtur, partim quia nuperrime de iis ita egit Hoffmannus, ut dimidiam paene eamque meliorem eius libelli partem haec quaestio auferat, partim quia de iis exponere mihi non propositum est, quum Panathenaeorum descriptio mea quidem sententia quasi sui iuris aliisque feriis obnoxia non sit.

2) Schol. Ar. Nub. 385 aliique.

poribus Panathenaea vocata esse Athenaea [3]), quod nomen non ab urbe, sed a dea Minerva derivandum esse puto, non tam confisus testimonio Pollucis [4]) qui posterius tantum Panathenaeorum nomen a Minerva deductum esse ait, sed ipsa ratione mythica qua hoc festum institutum esse dicitur. Sicuti enim origo plurimarum Atheniensium institutionum morumque praesertim sacrorum, ad tempora quae historiam certam antecedunt, ita reponitur, ut hi vel a diis ipsis, vel ab eorum posteris instituti esse ferantur, ita etiam Panathenaea, festum maximum, ab Erichthonio, fabuloso illo Atticae rege, condita esse a scriptoribus fere omnibus traditur [5]), quibuscum consentit Marmor Parium [6]). Sin autem antiquissimum nomen Athenaea fuisse statuitur, quis alius hoc nomen festo dedit, nisi Erichthonius, terrae ille filius, quem Minerva suscepit? Itaque et loci scriptorum et Marm. Parium ita intelligenda sunt, ut Erichthonium id festum, quod scriptorum

3) Istrus ap. Harp. s. v. *Παναθήναια*. Suid. s. h. v. Paus. VIII. 2. 1. Omnia feriarum Graecarum nomina adiectiva sunt neutrius generis numero plurali, quibus subauditur *ἱερά*.

4) I. 37.

5) Hellanicus et Androtion ap. Harp. l. c. Hygin. P. A. II. 13. Huc referendus esse videtur locus Philochori ap. Schol. Ar. Vesp. 542. *Φιλόχορος δὲ ἐν δευτέρᾳ ὅς γε καὶ τὸν καταϊδόντα τὸ ἔθος (τοῦ θαλλοφορεῖν) Ἐριχθόνιον συνίστησιν.* Quid hoc loco sibi velit verbum *καθορᾶν*, non video, quum sensum esse appareat: Erichthonius ex verbis Philochori morem frondes oleaginas gerendi instituit, à quo sensu verbum *καθορᾶν* plane dissentit. Itaque legendum esse censeo: *καταθέντα.*

6) Ep. 10. — Ep. 6 legendum esse *Παναλλήνια*, non *Παναθήναια* recte statuit Boeckhius.

ipsorum tempore Panathenaea vocabatur, instituisse dicant. Erichthonii enim tempore, i. e. ex chronico illo septingentis triginta annis ante Olympiadem primam 7), — etsi revera de tempore illorum regum quaeri non potest, quippe quum fabulis nimis velati sint — de sociatis Atheniensibus, quam notionem nomini Παναθήναια inesse patet, sermo esse non potuit; nam Theseus demum pagos dispersos in unam collegit urbem 8). Eam autem ob caussam Erichthonius potissimum, non Cecrops, Pandion vel alius mythicorum Atticae regum hoc festum instituisse fertur, quod horum regum nullus cum Minerva ipsa magis coniunctus erat, quam ille, quem deae ipsius filium esse nonnulli tradunt 9). Quae res ita intelligenda est, ut Minervam huius pueri, quem Terra enixa est 10), misereat, quam ob caussam de terra eum tollit 11). Itaque quum Erichthonii tempore

7) Cf. Clinton. F. H. Vol. I. p. 59 sqq.

8) Plut. Thes. c. 23. Suid. s. v. *Παναθήναια*. Paus. VIII. 2. 1.

9) Suid. l. c.

10) Paus. I. 2. 8. Il. II. 546.

11) Quod pulcherrime ostendit vas illud notum Musei Principis Caninatis, editum a Panofka (Monum. dell'. Inst. arch. Tav. X. XI. et explicatum Ann. dell' Inst. 1829. p. 292 sqq) Γῆ ipsa, cuius figurae superior tantum pars conspicitur, infantem Minervae sursum porrigit, quae eum aegide excipit. Adstat Minervae ipse qui pater esse dicitur Vulcanus. Sed minus facile est explicatu latus vasis aversum, cuius figuram in sella sedentem, quae feminae alatae adstanti pateram porrigit, Neptunum esse Panofka contendit. Neque vero diiudicat, quae sit haec figura alata, quum non minus bene Iris, quam Victoria agnosci possit. Ab hac explicatione lateris aversi dissentit Muellerus (Denkm. d. A. Kunst. Taf. XLVI. n. 211 b.) qui sedentem virum Erichthonium, Atticae regem, adstantemque feminam Diken esse censet. Sed neque hanc, neque

urbis ipsius nomen nondum exstitisse sciamus — nam urbis nomen a dea derivandum esse puto, non deae

---

illam explicationem mihi placere confiteor. Neptunum enim propter sceptri insigne, quo vir sedens praeditus est, agnoscere non possum, tum quia hunc deum, qui in certamine cum Minerva orto superatus erat, ita ut aliquid auctoritatis suae perdidisse videretur, hic iam in sella sedentem depictum esse verisimile non est, tum quia Neptunus in vasis et in Etruria et in Magna Graecia effossis nunquam, ni fallor, sedens conspicitur, nisi forte quod viri docti coniecerunt, in Sosiae patera, quam mancam esse admodum dolendum est. Erichthonium autem, quod Muellerus censet, iam regem factum hic sedere credere non possum propterea quod haec sedens figura deus aliquis esse videtur, tam ob sceptri insigne quod manu sinistra tenet, quam ob similitudinem nostrae imaginis cum anaglypho Musei regii Parisiensis (Millin Gal. Myth. LIV. 224. Mon. dell' Inst. Tav. XII.). Quo in anaglypho Visconti (ap. Clarac, descr. des Antiques du Louvre n. 259) Bacchum, qui modo natus a Terra duabus nymphis tradatur, effictum esse credidit, quam sententiam merito reiecit Panofka (Ann. dell' Inst. 1829. p. 298 sqq.), qui infantem, quem Terra sursum porrigit, Erichthonium esse rectissime dicit. Ostendit autem etiam hoc anaglyphum virum sedentem, qui utrum Iupiter sit an Neptunus, Panofka quidem non diiudicat. Tenet ille vir sceptrum simili modo atque in vase nostro, atque vestitus est more Iovis, quum toga usque ad coxas delabatur. Iovem autem Erichthonio recens nato adesse admodum convenit, ita ut quum Iovem in anaglypho agnoscamus, nihil impedimento esse videtur, quo minus etiam in vase nostro virum in sella sedentem Iovem esse dicamus. Atque in anaglypho illo Iupiter scenae ipsi tergum ita advertit, ut nonnisi vultum ei admoveat, quae res in vase nostro ita expressa est, ut huius latus aversum eundem ostendat. Iam quaeritur, quaenam sit vasis femina alata, cui Iupiter pateram porrigere videtur. Ad quam feminam explicandam Amor qui manum dextram huic tendit; multum conferre videtur, quod neque Panofka nec Muellerus animadverterunt. Ad quam enim aliam feminam Amor in scena nostra manus melius tendere potest, quam ad Minervam ipsam? Alata est autem Minerva, quia

men ab urbe, unde nomen festi nasci poterat, si a dea ipsa, matre eius, qui festum instituit? Quod men Ἀθήναια postea, ut statim videbimus, commu- um est in Παναθήναια, ita ut hoc posterioribus nporibus monumenta et scripta et lapidi incisa sem- r uterentur, donec, ut ex inscriptionibus apparere hi videtur, temporibus Hadriani imperatoris Graeca- m rerum studiosissimi, qui multa fecit quae omnino festa Graeca, praesertim Panathenaea, pertinent, iscum illud nomen Athenaea denuo in usum venerit. duobus enim titulis, quorum alter a Fauvelio Athe- s repertus, nunc exstat in Museo regio Parisiensi [12]), ter victores ludorum etiam Athenaeorum festum com- emoratur. Quo in titulo quum etiam Philadelphio- m, a Septimio Severo imperatore in Caracallae ho- rem institutorum, mentio fiat, titulus sive hoc impe- tore sive post eum conscriptus sit, necesse est.

---

tanquam Victoria hic depicta esse videtur, quum Victrix e certamine cum Neptuno de terra Attica orto discessisset. Qua de causa Iupiter victoriae pateram ei porrigit. Neque mirum est, Minervam omnibus armis hic destitutam esse, quum hoc modo in vasis pluribus, quae Vulcanum eam persequentem ostendunt, conspiciatur, sicut in Lambergiano nondum edito (Welck. Tril. Prom. p. 287.) et in Ducis de Luynes, de quo vid. Panofka Ann. dell' Inst. 1829. p. 291. De Erichthonio denique, quem Visconti in zophoro Parthenonis agnoscit, infra dicam.

12) Clarac, Descr. des Ant. du Louvre. n. 558. Editus est a Boeckhio C. I. n. 245. Cf. Osanni Syll. Inscr. p. 345. qui se Ἀθήναια festum aliunde nosse negat. Idem nomen habemus in titulo Boeckhii n. 283, qui eiusdem temporis est. Apud scriptores Graecorum nonnisi semel id inveni Athen. XIII. p. 561. E.

Itaque quum nomen Hadriano recentius sit admodum credibile est, nomen illud vetustum, si omnino temporibus Romanis rediit, hoc imperatore denuo in usum venisse.

Erichthonius autem ad quem redeo, ab antiquis Atticae incolis veluti agriculturae praefectus una cum Minerva et Vulcano, eius parentibus, cultus esse videtur [13]), propterea quod ex ipsa terra natus erat. Qua de caussa ipse nihil nisi eius fecunditatis imago est, quae Atticam terram spectat. Graeci enim filio seu posteris dei alicuius persaepe eam facultatem idque bonum attribuunt quod in deo ipso situm esse putabant, qua re pulcherrime significabant facultatem illam, quasi dei filiam i. e. ex deo illo natam, ipsius dei donum esse. Quae res conspici potest etiam in Erichthonio quadrigarum inventore [14]); nam Minerva ipsa equitandi curruque vehendi artem docuisse dicitur, unde Ἱππία vocata, quod cum Panathenaeis ab Erichthonio institutis optime convenit. Itaque iam ex loco Marmoris Parii adducto videmus, inter ludos in Panathenaeis actos cursum equestrem antiquissimum fuisse. Apparet igitur, quanta sit in omnibus rebus Minervae cum Erichthonio coniunctio, unde quum hunc primum festum illud, Athenaea vocatum, instituisse scriptores tradant, facile intelligitur, hoc nomen Ἀθήναια nihil commune habere

13) Cf. Muell. Min. Pol. p. 3 sqq. Welckeri Tril. Prom. p. 284.

14) Eratosth. Catast. 13. Marm. Par. ep. 10 ibique Boeckh. (C. I. Vol. II. p. 313) qui multos in hanc rem attulit locos. Ostendit Erichthonium curru vehentem decima quinta Parthenonis metopa in latere meridionali. Bröndsted, Reisen in Griechenland, T. II. p. 233.

cum nomine urbis. Festum enim Minervae cultum per Atticam regionem diffusum attingit, propterea quod dea, quatenus agris colendis praeest, quasi parvos tantum agendi fines habet, unde si res agrarias respicis, a Cerere Eleusinia, quae agriculturam per Triptolemum omnes orbis terrarum incolas docet, bene est distinguenda. Eadem vis quasi arctis finibus circumscripta inesse videtur fabulae illi certaminis, quod Minervae cum Neptuno de terra Attica fuit; etenim ex hoc dea victrix discedit, quia Attici antiquissimi terram colere mox ab Erichthonio edocti sunt [15]).

Festum igitur nostrum a dea ipsa, cui sacrum erat, cognominatum ad Atticam solum terram spectat, cui rei maius lumen affert secunda de festo instituto narratio, quae Theseum, Atticae regem, incolas prius dispersos in unam urbem collegisse et *Panathenaea* primum celebrasse tradit [16]). Atque Plutarchus quidem has duas Thesei institutiones disertis verbis coniungit: τὸ ἄστυ τήν τε πόλιν Ἀθήνας προσηγόρευσε· καὶ Παναθήναια θυσίαν ἐποίησε κοινήν, quae res digna est, quae accuratius consideretur. Sequitur enim ex hoc loco, quod supra statui, nomen Ἀθήναια deduci non posse a nomine urbis, quippe quae Erichthonii tempore nondum exstiterit. Hoc si semel statuimus, non est quod etiam alterum nomen Παναθήναια ab urbe deducamus. Licet enim eam ob caussam syllaba

15) Muellerus (Min. Pol. p. 7) sensum magis reconditum huic fabulae inesse suspicatur, quem non esse hic quaerendum censeo.
16) Plut. Thes. c. 23. Suid. s. v. *Παναθήναια.*

Παν festi nomini ipsi praeposita sit, quod Atticae incolae iam unam civitatem sive *κοινόν τι* formare incipiebant, nomen tamen festi cum hac collectorum Atticorum narratione coniungendum non est, sed res ita capienda esse videtur, ut, quum inde ab Erichthonio usque ad Theseum regem — quod spatium temporis etsi duo saecula et dimidium non complectitur, quod Marm. Par. tradit, tamen non ita exiguum est — vel in omnibus Atticae pagis vicisque Athenaea celebrata essent, vel in eo solum qui postea ἄστυ formavit, hoc festi nomen Thesei tempore in Παναθήναια commutatum sit, qua de caussa ultima Plutarchi verba quasi per prolepsin dicta sunt, quum illud festum hac ipsa tantum re, quod *commune* sacrum fiebat, Παναθήναια factum sit. Ex utraque autem festi instituti narratione, et ex illa quae Erichthonium qui terram Atticam colit, et ex hac quae Theseum qui urbi nomen dedit, spectat, sequi videtur quaenam sit vera totius festi vis atque natura, etsi haec etiam ex iis rebus, quae in ipso festo agebantur, intelligi potest, qua de caussa infra pluribus haec res exponetur. Vidimus enim festum Erichthonio rege i. e. ante Theseum terram Atticam spectasse, ita ut, quum Theseus Athenas tantopere attolleret atque ornaret, ut reliqua Atticae oppida paene evanescerent, festum huius urbis maxime dignitatem illustraret. Itaque quum ex Erichthonii mytho sequatur, Panathenaea Minervae sacra fuisse, id quod scriptores satis superque confirmant, ex altera illa narratione Theseum spectanti elucet, Minervam his feriis celebratam cultamque esse tanquam urbis

Athenarum antistitem, quam Graeci Πολιάδα sive Πολιοῦχον vocabant. Quae res et ab Aristophane [17]) confirmatur, qui peplum Minervae Poliadi in pompa Atheniensium portatum esse dicit, et titulo Choiseuliano [18]) qui athlothetis in Panathenaea Maiora e *Minervae Poliadis* aerario pecuniae summam datam esse tradit. Atque Minervam Poliadem, non Virginem vel Propugnatricem cum Erichthonio coniunctam esse, videmus ex historia ab Herodoto [19]) de Epidauriis narrata. His enim ad terrae sterilitatem tollendam oraculum consilium dedit, ut Damiae et Auxesiae simulacra oleagina facerent, qua de caussa ab Atheniensibus oleas petierunt, quippe quum hae alio loco non crescerent [20]). Ea autem conditione Athenienses his precibus satisfecerunt, ut illi quotannis Minervae Poliadi et Erichthonio sacra facerent. Ex hoc loco, quem multis aliis augere possim, apparet, Minervam Poliadem fertilitatem quam diximus Atticam una cum Erichthonio afferre; et quanta fuerit in Panathenaeis celebratis oleae vis, infra videbimus.

Confirmatur autem haec sententia de Panathenaeis in Poliadis honorem actis i. e. Panathenaeorum urbana, ut ita dicam, natura Synoeciis itidem a Theseo institutis [21]), quod festum a Metoeciis haud differre recte

17) Av. 828.

18) Boeckh. C. I. n. 147. cf. Staatsh. d. Ath. II. p. 165. Ex quo titulo quid amplius in rem nostram sequatur, vid. infra.

19) V. 82.

20) Cf Soph. Oed. Col. 705. Herm.

21) Steph. Byz. s. v. Ἀθῆναι: Ὁ Θησεὺς τὰς ἕνδεκα πόλεις τὰς ἐν τῇ Ἀττικῇ συνοικίσας εἰς Ἀθήνας, Συνοίκια ἑορτὴν κατεστήσατο. Iisdem fere verbis utitur Charax Periegetes. cf. Thuc. II. 15.

observarunt Ios. Scaliger, Corsinus [22]) aliique quia scriptores utraque instituta ad Atticae pagos a Theseo coniunctos referunt. In eo autem vehementer errat Scaliger, quod etiam Theseorum festum a Metoeciis non differre dicit, quum Thesea octavo mensis die celebrata esse constet [23]). Synoecia vero sive Metoecia Plutarchus [24]) in decimum sextum Hecatombaeonis diem refert. Neque enim est, cur hic scholiastae testimonio diffidamus, quum Hesychius [25]) inter dies deo alicui sacros, octavum Theseo dedicatum numeret, etsi utriusque scriptoris computationem ex uno eodemque fonte haustam esse verisimile est. Huc accedit quod in Theseis certamen fortasse gymnicum fuisse legimus apud Gellium [26]), quam rem in Metoeciis locum habuisse credibile non est, quia certamina cum rebus sacris ita semper coniuncta erant, ut neque inquilini, nec peregrini quos utrosque Metoecia spectabant, sed cives tantum urbis illorum certaminum participes esse possent. Qualia autem fuerint Metoecia ex paucis illis scriptorum testimoniis intelligi non potest, sed cuiusque anni XVImo Hecatombaeonis die acta esse, admodum est probabile, partim quia nullus scriptorum ea pentaëterica vel trieterica fuisse tradit, partim quia, quod statim videbimus, cum Panathenaeis ita cohaerent, ut die hoc festum antecedenti acta esse videantur.

22) F. A. t. II. p. 347.
23) Schol. Ar. Plut. 627. 1127.
24) Thes. c. 23.
25) s. v. Ὀγδόδιον. Iisdem fere verbis utitur Suid.
26) N. A. XV. 20.

CAPUT III.

Panathenaea haec a Theseo instituta quotannis celebrata esse videmus ex Harpocratione, cuius locum a uida exscriptum esse manifestum est, quum hic iisem plane verbis utatur. Ille autem [1]), Διττὰ, ait, Παναθήναια ἤγετο Ἀθήνῃσι, τὰ μὲν καθ' ἕκαστον νιαυτὸν, τὰ δὲ διὰ πενταετηρίδος, ἃ καὶ μεγάλα κάλουν. Atque hoc recte dictum est, quum quovis Olympiadis anno Panathenaea posterius celebrata esse x inscriptionibus appareat. Cuius rei exemplum affero ecretum genuinum et admodum memorabile a Bekkero Fourmonti schedis transcriptum [2]), qui quaestores linervae ἐκ Παναθηναίων ἐς Παναθήναια rationes ddere dicit, i. e. quovis anno, quia ex formula illa ota, τάδε παρέδοσαν αἱ τέτταρες ἀρχαὶ, αἳ ἐδίδοαν τὸν λόγον ἐκ Παναθηναίων ἐς Παναθήναια quaeres Minervae annuos fuisse aperte elucet. Qua cum rmula coniungenda esse illius decreti praecedentia haec rba rectissime ostendit Boeckhius [3]): καὶ τολοιπὸν ναγραφόντων οἱ ἀεὶ ταμίαι (i. e. quaestores singulorum annorum) εἰς στήλην καὶ λόγον διδόντων τῶν τε ντων χρημάτων καὶ τῶν προσιόντων τοῖς θεοῖς, καὶ ἐν τι ἀναλίσκηται κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν πρὸς τοὺς λογιστὰς καὶ εὐθύνας διδόντων, καὶ ἐκ Πα-

1) s. v. *Παναθήναια.*
2) Ap. Boeckh. C. I. n. 76.
3) Ibid. p. 179.

ναθηναίων ἐς Παναθήναια τὸν λόγον διδόντων, καθάπερ οἱ τὰ τῆς Ἀθηναίας ταμιεύοντες. Videmus enim ex his verbis quaestores Minervae ex quibusvis Panathenaeis ad quaevis Panathenaea quotannis (κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν) rationes reddidisse, quos imitari quaestores omnes iubentur. A quibus testimoniis firmissimis dissentit solus Libanius (Arg. Mid.) qui Panathenaea minora, i. e. ea de quibus quaerimus certe τριετηρίδα sive secundo quoque anno acta esse dicit, quae res quam parvi sit aestimanda intelligitur ex aliis multis istius scriptoris erroribus qui etiam Dionysia maiora διὰ τριετηρίδος acta esse ait, quae annua fuisse satis constat.

Iam quum testimoniis satis certis demonstratum sit, Panathenaea a Theseo instituta quotannis acta esse, altera exstat quaestio minus facilis, quo cuiusque anni die Athenarum incolae hoc festo Minervae honorem attulerint, de qua re inter eos quicunque Panathenaea tractarunt, magna dissensio fuit, dum nuperrime Hoffmannus sententiam rectam posuit, quam examinatam argumentis, quippe quae Hoffmannus plane omiserit, certiorem faciemus.

Ac primum quidem Meursius [4]) Panathenaea (minora) postridie Bendideorum sive vigesimo Thargelionis die acta esse ex locis Procli sequentibus colligit, cuius verba haec sunt [5]): ἐν τοῖς μικροῖς (Παναθηναίοις)·

4) Panath. c. 6. Eandem, ut huius breviter mentionem faciam, sententiam habet Prideaux ad Marm. Oxon. p. 160.

5) ad Plat. Tim. p. 26.

τῦτα γὰρ περὶ τὸν χρόνον ἐπετελεῖτο τοῖς Βενδιδίοις et alio loco [6]): ὅτι γε μὴν τὰ Παναθήναια ἃ μικρὰ] τοῖς Βενδιδείοις εἴπετο λέγουσιν οἱ ὑπομνηματισταὶ, καὶ Ἀριστοτέλης ὁ Ῥόδιος ἱστορεῖ, τὰ μὲν ἐν Πειραιεῖ Βενδίδεια τῇ εἰκάδι τοῦ Θαργηλιῶνος ἐπιτελεῖσθαι, ἕπεσθαι δὲ τὰς περὶ τὴν Ἀθηνᾶν ὁρτάς, quibus locis adiungit Meursius Aristotelis [7]) agiritae verba non ita accurata: ἐκ τῶν Παναθηναίων ὁ πλοῦς. Aliud quum de Bendideorum celebrarum tempore testimonium non habeamus, nisi hoc od Proclus ex alieno scriptore sumpsit, credendum t, ea seu vigesimo seu undevigesimo, quem Proclus io affert loco [8]), Thargelionis die, sive paenultimo ni mense acta esse. Scriptores autem, quos Proclus ectat, nihil nisi Minervae festa Bendideorum celebra-

6) Ibid. p. 27.

7) De gener. animal. I. 18. Haec philosophi verba de Panathenaeis in universum, sublata maiorum et minorum differentia, intelligenda esse, ex eodem utrorumque tempore quod mox statuemus, sequetur. Meursius autem petitionem quam dicunt principii commisit, dum argumentum ex his verbis ad sententiam suam de Panathenaeis minoribus Thargelione celebratis confirmandam sumit; dicit enim verba referri non posse ad Panathenaea *maiora*, quia Hecatombaeone celebrata sint. Ex his vero, si accurate inspicis, Aristotelis verbis, quibus adiungendus est Maximus Tyrius (Dissert. XXXIII.), cuius quidem fides non tanti aestimanda quanti Aristotelis, colligi licet, Panathenaeorum utrorumque tempus unum idemque esse. Sin secus, Aristoteles sine dubio *μικρῶν* vel *μεγάλων* adiecisset. Max. enim Tyrius alia aliis diis sacra esse anni tempora dicit, inter quae Panathenaea enumerat, quod fieri non potuit, si duobus anni temporibus celebrata essent.

8) Ad Plat. Tim. p. 9.

[illegible] Diana esse et τὴν ἑορτὴν Bendideum in Dianae honorem acta ex sequentibus verbis et [illegible] primi Reipublicae libri apparet. Unde etiam Strabo [illegible], hunc locum re[illegible]iens Platonem Bendideorum mentionem facere dicit: neque minus recte veteres Platonis interpretes hunc locum intelligunt. Itaque alia dea a Platone non nominata, etiam sequentia verba: λαμπὰς ἔσται πρὸς ἑσπέραν ἀφ' ἵππων τῷ θεῷ ad Dianam referenda sunt, non ad Minervam

9) κατέβην χθὲς ἐς Πειραιᾶ προσευξόμενός τε τῇ θεῷ καὶ ἅμα τὴν ἑορτὴν βουλόμενος θεάσασθαι, τίνα τρόπον ποιήσουσιν ἅτε νῦν πρῶτον ἄγοντες.

10) X. p. 471. D. Cf. de Bendideis institutis Cors. F. A. II. p. 311. qui in eo tantum errat, quod Cephalum, Lysiae patrem, quem Socrates in Piraeeo convenit, circa Ol. 77 Athenas appulisse refert. Nam quum Cephalus Ol. 84, 1 iam mortuus esset, postquam triginta annos Athenis vixit, apparet eum ante Ol. 76, 3 huc venisse.

uod vult Meursius; etenim lampadephoriam Panatheaicam in Ceramico habitam esse, non in Piraeeo, infra videbimus. Procli igitur quum nec fidem certam eque verba modo commemorata definita esse apparet, praeterea Platonis locus a Meursio perperam ad Panathenaea referatur, Samuel Petitus [11]), nisi fallor, primus Meursium refutare studuit. Rectam autem quam ingressus est viam, subsidiis nec sufficientibus nec satis armis munivit. Refutato enim rectissime argumento, quod Meursius ex Reipublicae loco sumpserat, Petitus quoque Aristotelis Rhodii verba de Plynteriis et Callynteriis intelligenda esse censet [12]), Stagiritae autem τῶν Παναθηναίων ὁ πλοῦς recte ita interpretatur, philosophus de tempore suscepti τριηραρχῶν muneris loquatur. Deinde affert locum magni momenti ad eam de Panathenaeis Hecatombaeone peractis sententiam probandam e Demosthenis oratione adv. Timocratem [13]), qui duodecimo Hecatombaeonis die concionem dicavit, ἐπὶ τῇ τῶν Παναθηναίων προφάσει, ut legem ferret. Quam legem latam esse eodem anno, quo Timocrates accusatus est, apparet ex eo, quod adhuc ὑπεύθυνος erat. Accusatus est autem Timocrates anno Ol. 106, 4, archonte Euthydemo, itaque Pana-

11) Legg. Att. p. 18 sqq. (Paris. 1635. fol.)

12) Recte autem Petitus Plynteria XXVmo Thargelionis diei attribuit, quum Plut. (Alcib. c. 34) ea Θαργηλιῶνος ἕκτῃ φθίνοντος acta esse dicat. Errat igitur Meursius (Gr. fer. s. h. v.) qui XXVImum huius mensis diem affert. Eundem autem quem Muellerus (Min. Pol. p. 27) fecerat errorem, correxit V. D. in Handb. d. Archaeol. §. 69. A.

13) p. 708, Reisk.

thenaea a Demosthene commemorata, minora sunt, quum maiora cuiusque Olympiadis anno tertio agerentur. Atque quum huc accedat, quod in Minoribus, excepto peplo, eaedem fere res fiebant, quae in Maioribus, Petitus Minora Hecatombaeone peracta esse colligit, neque vero accuratius definit diem mensis, quem Corsinus demum adiecit [14]). Recte enim ex Demosthenis loco festum nostrum ante XXmum Hecatombaeonis diem incidere concludit; nam quum Ulpianus refert, κυρίας ἐκκλησίας tribus tantum mensis diebus habitas esse; videlicet XImo, XXmo et XXXmo, opus est Panathenaea ante XXmum Hecatombaeonis diem peracta sint. Quod ni ita esset, Demosthenes certo obiecisset, Timocrati causssam non fuisse ad indicandam concionem in XIImum mensis diem, quippe quum ipse vicesimo i. e. legitimo die hoc facere potuisset. In se autem Corsinum errare videbimus, quod Panathenaea minora in decimum quartum diem incidere dicit, quum ex Plutarchi quem affert, loco minime sequatur, Metoecia acta esse post Panathenaea. Ordo enim quo hic de utroque festo narrat, non magni aestimandus esse videtur. Denique Clintonius [15]) de Panathenaeis minoribus ita disseruit, ut pristinam Meursii sententiam restituere studeret. Etsi enim Platonem de Bendideis loqui concedit, Procli tamen auctoritati magnum affert pondus laudato Schol. Plat. Rep. [16]), qui minora Pana-

14) F. A. T. II. p 357 sqq.
15) F. H. Vol. II. p. 332 sqq. ed. Angl.
16) p. 143. Ruhnk.

:naea in Piraeeo post Bendidea acta esse dicit. Ne- e vero huius absurdissimi scriptoris verba rem diiu- :are possunt [17]). Itaque etiam Clintonius Timocratis em non Ol. 106, 4, sed Ol. 106, 3 latam esse, demon- are studet. Etsi enim intra anni spatium caussam ad lices deferri necesse esset, tamen Timocratem ὑπεύ- νον esse potuisse archonte Euthydemo, lege anno iecedenti lata. Cuius rei exemplum affert Ctesiphon- ı, qui octo annis post legem latam ὑπεύθυνος erat, i accusatus est intra anni spatium. Itaque dummodo :usatio intra tempus legitimum fieret, Timocratem lto post ὑπεύθυνον esse potuisse [18]).

Rectis autem argumentis ad diem Panathenaeorum ıorum definiendum utitur qui nuperrime rem tracta- , Hoffmannus, nisi quod coniecturam suam argumen- non confirmavit. Maximi enim ad hanc rem diiu- :andam momenti est locus allatus Demosthenis, quem

---

7) Scholiastae enim levitas apparet ex eo quod Platonis locum ad Panathenaea refert, qua de caussa haec in Piraeeo acta esse dicit, quod sumpsisse videtur ex hoc Platonis loco. Atque quum Plato pepli in Dianae honorem in Bendideis portati mentionem faciat, scholiasta, quum hunc locum perperam intelligat, etiam in Panathenaeis minoribus peplum in pompa portatum esse dicit. Quam rem falsam esse, infra demonstrabitur. Vides igitur, quam leviter scholiasta res sine ullo iudicio perturbarit.

8) Ea autem caussa quam Clintonius offert, *Παναθήναια* simpliciter commemorata a Demosthene esse maiora, non minora, quia si de minoribus sermo esset, certo adiecisset: *τὰ μικρὰ*, admodum est inanis, sicut loci Panathenaea spectantes, quos transcripsit Meursius, satis docent, immo etiam ex inscriptionibus aperte elucet, Panathenaea simpliciter dicta minora esse.

rectissime explicaverunt et Corsinus et Hoffmannus. Huc accedit, qui omnem hac de re dubitationem tollit, titulus Fourmonti perquam memorabilis [19]), qui quum dermatici rationes contineat, festa in quibus hoc reipublicae solvebatur, enumerat. Primum enim nominantur Archonte Ctesicle (Ol. 111, 3) Dionysia rustica quae Posideone peragebantur [20]), tum Lenaea Gamelione, Eleusinia [21]) Anthesterione, sacrificium Cereri quod cum Eleusiniis coniunctum esse videtur, Asclepiea Elaphebolionis die octavo, Dionysia urbana eiusdem mensis a die undecimo usque ad decimum quartum, Olympiea et sacrificium Mercurio (utriusque festi mensem nescimus), Bendidea Thargelione, denique sacrificium Iovi Servatori, fortasse in Buphoniis Scirophorione actis. Videmus igitur rectum mensium Atticorum ordinem hic observatum esse. Deinde numerantur festa, in quibus archonte Nicocrate (Ol. 111, 4) dermaticon curatoribus redituum publicorum solutum sit: sacrificium Paci, Hecatombaeonis die sexto, Ammonia quorum diem nescimus, *Panathenaea*, quae quum minora sint in Thargelionem transferri non pos-

19) Quem editum explicavit Boekhius Staatsh. d. Ath. II. p. 243 sqq. et C. I. n. 157.

20) Ne mireris ante hunc sextum anni mensem nullum festum nominatum esse; apparet enim ex decreto apud auctorem vitt. X oratt. (Plut. T. VI. p. 279 ed. Tubing.), curatores redituum publicorum per quattuor annos plenos munere functos esse (Staatshaush. d. Ath. I. p. 177), atque ita quidem, ut cuiusque Olympiadis anno tertio non ineunte, sed non multo ante sextum mensem magistratum inirent.

21) Intellige minora, quum maiora Boëdromione acta esse constet.

sunt, quia nimis multi dies festi ab Hecatombaeone usque ad Thargelionem celebrabantur, in quibus dermaticon solvendum erat, ut ex anni praecedentis ratione intelligitur. Itaque quum titulus lacunam inter verba ἐκ τῆς θυσίας τῷ Ἄμμωνι et ἐκ Παναθηναίων non praebeat, statuendum est, Panathenaea (minora) sub Metoeciorum tempus peracta esse, praesertim quum ex illo Demosthenis loco eluceat, ea ante diem mensis vicesimum incidere. Namque Metoecia instituta cum Panathenaeis arctissime cohaerent. Quae quum ita sint, non alius dies sese offert, in quem initium huius festi transferri possit, quam qui Metoeciorum diem sequitur, videlicet Hecatombaeonis decimus septimus, quam cum Panathenaeis maioribus consideratis demonstrare studebimus [22]).

CAPUT IV.

Iam mihi est petenda venia, quod modo semper, quum de die Panathenaeorum a Thesco institutorum egerem, Panathenaea *minora* vocavi, licet nondum sciamus, duplex Athenis fuisse festum Panathenaeorum. Saepissime enim mentio fit apud scriptores Panathenaeorum maiorum, ita tamen, ut quum haec non ante

22) Petit. (legg. Att. p. 20) viros eruditissimos commemorat, qui Panathenaea minora Munychione celebrata esse voluerint. Nescio autem, quinam hi sint.

Ol. 66, 3 commemorata inveniamus [1]), nos fugiat, quando instituta sint, etsi fortasse non perperam statuimus, haec maiora non multo ante illud tempus instituta esse. Qua de caussa coniici licet, Pisistratum, Hipparchi patrem, hoc fecisse, quum quantus fuerit huius tyranni in populum Atheniensium favor satis constet; quae institutio ita accipienda est, ut Pisistratus primus peplum in Minervae honorem circumferri iusserit. Quam quidem rem nihil nisi meram coniecturam esse confiteor, quum equidem minime credam, iam Thesei tempore hunc peplum factum esse, praesertim quum Pisistratus etiam aliam in Panathenaeis celebratis commutationem fecerit. Atqui quum scriptores [2]) haec magna Panathenaea *διὰ πενταετηρίδος* peracta esse uno ore tradant, colligere nobis licet, ea anno cuiusque Olympiadis tertio habita esse, quae res confirmatur et titulo Choiseuliano [3]), ex quo Panathenaea maiora archonte Glaucippo i. e. Ol. 92, 3 acta esse discimus et titulo quodam Fourmonti [4]), qui idem

1) Thuc. VI. 56. cf. I. 20. Herodot. V. 56. Mentio mihi facienda est loci Schol. Ar. Pac. 417, qui comici *τὰ μεγάλα Παναθήναια* sic interpretatur: *οὐχ ὡς καὶ μικρῶν ὄντων τοῦτό φησιν, ἀλλ' αὔξων τὴν χάριν*, ex quibus verbis interpretem veterem differentiam inter maiora et minora Panathenaea omnino ignorasse minime sequitur, quod vult Meursius (Panath. c. 6). Nam verba accuratius inspicienti manifestum est, eum brevius tantum locutum esse, ita ut dicere deberet, poetam Panathenaea *magna* vocasse, non ut opponeret ea parvis, sed quorum augeret tantum magnificentiam. Recte enim Naekius (Rhein. Mus. T. I. p. 160) scholiastae verba intelligit.

2) Suid., Harpocrat. aliique.

3) Boeckh. Staatsh. d. Ath. II p. 161 sqq. C. I. n. 147.

4) Staatshaush. d. Ath. II p. 165. C. I. n. 251.

factum esse archonte Chaeronda i. e. Ol. 110, 3 dicit. Quod si statuimus optime explicari potest initium multorum titulorum notissimum: *τάδε παρέδοσαν αἱ τέτταρες ἀρχαὶ, αἳ ἐδίδοσαν τὸν λόγον ἐκ Παναθηναίων ἐς Παναθήναια.* Et quum supra dixerimus, minorum initium incidisse in diem Hecatombaeonis decimum septimum, quaerendum est, quando haec maiora celebrata fuerint, utrum eodem tempore, an alio. Qua de re quum nonnisi unus Procli [5]) locus nos edoceat, qui ea *Ἑκατομβαιῶνος τρίτῃ ἀπιόντος* celebrata esse dicit, confidamus necesse est huic testimonio. Quem diem Meursius Hecatombaeonis vicesimum tertium esse refert, nesciens qua ratione Graeci mensium dies numerare soleant. Constat enim Graecos appellasse ultimum mensis diem *ἕνη καὶ νέα*, paenultimum *δευτέρα ἀπιόντος μηνός* [6]), ita ut *Ἑκατομβαιῶνος τρίτη ἀπιόντος* sit dies huius mensis XXVIIImus, quippe quum Hecatombaeon triginta complectatur dies. Eodem modo perperam numeravit Dodvellus 7) qui etiam in alium errorem Panathenaea spectantem inductus est, dicens maiora acta esse viginti diebus ante Olympia i. e. Scirophorionis die vigesimo, quam sententiam recentissime refutaverunt Corsinus [8]) et Boeckhius 9). Nititur enim Dodvellus loco Thucydideo [10]), quo Athe-

5) In Plat. Tim. p. 9.
6) Theod. Gaza de mensib. c. 15.
7) Ann. Thuc. p. 170.
8) F. A. II. p. 359.
9) Staatshaush. II. p. 166. Corrigendus est igitur locus in eiusdem V. D. libro de Gr. trag. princ. p. 203.
10) V. 47.

nienses triginta diebus ante Olympia legatos Elim, Mantineam et Argos mittere iubentur, ut iusiurandum cum unaquaque harum urbium renovent. „Argivi autem, Elei et Mantinei decem diebus ante Panathenaea maiora Athenas proficiscuntor," quo ex loco minime sequitur, legatos utrosque uno eodemque tempore locum nancisci debere, immo potius Athenienses unam tantum legationem in tres illas urbes miserunt [11]). Constat igitur, Panathenaea maiora tertio cuiusque Olympiadis anno, et quidem Hecatombaeone, peracta esse.

Ille autem dies Hecatombaeonis XXVIIImus, quem Proclus affert, est sine dubio huius festi dies summi momenti, itaque idem, quo peplus Minervae in pompa sollemni circumferebatur, unde etiam Thucydidis [12]) verba *περιέμενον δὲ Παναθήναια τὰ μεγάλα, ἐν ᾗ μόνον ἡμέρᾳ οὐχ ὕποπτον ἐγένετο κ. τ. λ.* non ita intelligenda sunt, ut Hipparchi tempore Panathenaea maiora unum tantum diem complexa sint; sed hic unus dies est ille, quo summa sollemnia agebantur, quum ex Thucydide ipso Hipparchum illo die in pompa procedentem interfectum esse videamus. Ridiculus est igitur Meursii error, qui ex hoc loco maiora antiquiore tempore unum diem durasse colligit, quum e multis scriptorum locis infra commemorandis etiam alia in Panathenaeis maioribus sollemnia idque iam antiquissimis

11) Etiam Clintonius (F. H. Vol. II. p. 224) Panathenaea maiora Hecatombaeoni attribuit, nisi quod etiam ex Demosth. adv. Timocr. p. 708 hoc probare studet, in qua re eum errare vidimus.

12) VI. 56.

temporibus acta esse appareat. Neque enim credibile est, ludos gymnicos equestresque eodem die habitos esse, quo peplus ferebatur. Huc accedit, quod multi scriptores Panathenaea per multos dies durasse dicunt [13]), unde etiam Aristides [14]) orationis suae Panathenaicae longitudinem excusat, exemplo utens Panathenaeis ipsis quae non uno die absolvi sed per multos dies celebrari ait. Itaque et hanc ob caussam et ob multas res, quae in hoc festo fiebant, statuendum esse censeo, Panathenaea ferias omnium paene longissimas et maximas fuisse [15]).

Iam igitur quaestio necessaria esse videtur, quot tandem dies Panathenaea et minora et maiora complexa sint. Vidimus enim utrumque festum incidisse in Hecatombaeonem, atque ita quidem, ut minora quotannis celebrarentur, maiora vero tertio cuiusque Olympiadis anno. Neque enim, ut alia argumenta supra commemorata omittam, caussam video, cur minora alio mense peracta sint, ac maiora, quum antiquissimis temporibus unum tantum Panathenaeorum festum exstiterit, cuius institutio atque sollemnitas cum sacris Minervae ita conjuncta erat, ut a prisco rei ordine decedere nefas esset. Omnes enim fere res, a sacris alicuius dei dependentes, immutatae manebant, etsi alia et quidem maxima civitatis Atticae instituta temporis decursu commutata sunt. Verum etiam id nobis caussam praebet,

13) Schol. Eur. Hec. 464.
14) Panath. p. 147. Iebb.
15) Schol. Ar. Nub. 385.

ut credamus, minora eodem tempore acta esse quo maiora quod in utrisque eaedem plane res fiebant, si excipis peplum, ita ut hac sola re differentia inter maiora et minora nitatur. Negari quidem non potest, posteriore tempore ludos gymnicos musicosque Panathenaeorum maiorum cum splendidiori fortasse sollemnitate habitos esse quam minorum, etsi de hac differentia inter utraque nihil certi apud veteres legimus. Iam igitur, quum eodem mense celebrarentur utraque, non est caussa, cur minora his, maiora aliis diebus facta sint. Minora autem vidimus incidere in Hecatombaeonem circa Metoecia, unde ea statim post hoc festum initium cepisse coniecimus; atque quum peplus ferretur eiusdem mensis die XXVIIImo, hunc diem esse festi finem statuendum est, propterea quod ne unum quidem Graecorum festum ab altero in alterum mensem pertractum est. Itaque quum dies pompae sit ultimus, retro sunt numerandi dies a vicesimo octavo, ut cognoscamus, quam diu feriae nostrae duraverint.

Supra demonstratum est, *Pan*athenaea institutionem suam duodecim pagis a Theseo in unam urbem collectis debere, ita ut ab hac demum re prima huius nominis syllaba derivanda sit. Quanti autem momenti in rebus Atticis fuerit hic numerus, intelligitur ex eo quod duodecim phratriae cum illis duodecim pagis cohaerere nonnulli censuerunt [16]); utrum merito, necne, non quaerimus. Satis autem constat, numerum duode-

16) Buttmann, Ueber d. Phratrien. Abhandl. d. K. Preuss Akad. d. Wissensch. 1818.

cim et in antiquissima Atticae historia et maxime in Minervae fabulis persaepe inveniri; duodecim enim anaglypha quae pugnam Gigantum ostendunt, continet peplus ille Minervae Dresdensis, quam Poliadem esse alio loco demonstrabimus, atque duodecim oleas Minervae Poliadi sacras in arce Athenarum fuisse, legimus apud Suidam 17). Itaque quum Apollinis plurima festa per septem dies duravarint, forsitan haud inepte, Panathenaea utraque per duodecim dies celebrata esse credimus. Atque quum argumentis allatis facile concedatur, utrasque ferias uno eodemque tempore acta esse, statuendum est, *et maiora et minora a die Hecatombaeonis XVIImo usque ad huius mensis diem XXVIIImum ab Atheniensibus e duodecim pagis in unam urbem collectis peracta esse.* Neque mira videri potest haec coniectura consideranti, quaenam sit vera huius festi publici indoles atque natura, quippe quod peculiarem vim suam pagis demum in unam urbem coniunctis acceperit. Neque minoris in hanc rem momenti sunt permultae illae res quae in his feriis fiebant. Certabatur enim, ut nunc breviter tantum has res enumerem, ludis equestribus, gymnicis, musicis varii generis, lampadibus currebatur, rhapsodi recitabant Homeri aliorumque poetarum epicorum carmina, disputabant philosophi, gallorum certamina habebantur, sacrificia quibuscum convivia sacra coniuncta erant, fiebant, atque ultimo Panathenacorum maiorum die peplus in arcem ferebatur, unde non mirum est, quod scriptores

17) s. v. *Μοῖραι.*

Panathenaea omnium festorum maximum vocant, quum tot res in aliam magnam festi sollemnitatem conciliatas non reperiamus.

Ecce igitur tot tantaeque res quae in Panathenaeis fiebant, ut quaerentibus nobis, quem ordinem seriemque in his sollemnibus celebratis Athenienses servaverint, nos nihil fere de hoc ordine certi habere confitendum sit, quia scriptores nonnisi oblata occasione singularum rerum mentionem faciunt. Huc accedit, quod non ab initio Panathenaeorum peractorum omnes sollemnitates hoc festum ornasse legimus. De temporibus enim quae Thesei regnum sequebantur, nihil fere notum est, quod huic rei lumen afferre possit, quum festum ipsum a Theseo usque ad quinquagesimam fere Olympiadem in obscuritate quadam maneret. Nam una tantum narratio nobis superest [18]), qua Androgeus, Minois filius, Athenas pervenisse ibique omnes athletas certamine vicisse traditur, ex qua id solum elucet, certamina et quidem gymnica iam tum in Panathenaeis facta esse. Quae res iam per se admodum probabilis est, quum ludi gymnici inde ab antiquissimis temporibus Graecorum festa magnificentiora reddiderint, etiamsi apud Homerum [19]) quidem non in feriis, sed in exsequiis Patrocli adhibiti inveniantur. Ex qua pulcherrima poetae antiquissimi descriptione discendum est, cuius generis fuerint primis temporibus Graecorum certamina gymnica. Certant enim apud Homerum Graeci equis,

18) Apollod. III. 14. 7. Diod. Sic. IV. 60.
19) Il. XXIII. 262 sqq.

pugilatu, luctando, cursu, armis, disco, sagittando, iaculando, quarum rerum plurimas etiam in Panathenaeis posteriore quidem tempore in usu erant, quibus temporum decursu etiam alia ludorum gymnicorum genera infra commemoranda adiecta sunt. Quae quum ita sint, difficilis est explicatu locus Pherecydis [20]), qui Μιλτιάδης, τοῦ δὲ (γίγνεται) Ἱπποκλείδης, ἐφ' οὗ ἄρχοντος Παναθήναια ἐτέθη, dicit. Quo ex fonte credo hausta esse verba Eusebii [21]), ὁ τῶν Παναθηναίων γυμνικὸς ἀγὼν ἤχθη, quam rem hic Ol. 53, 3 attribuit [22]). Atqui certe notum est, ludos gymnicos iam Thesei temporibus magnam Panathenaeorum celebratorum partem effecisse, nisi forte mavis, verba γυμνικὸς ἀγὼν ita intelligenda esse, ut certamina, quae Graeci nudis corporibus habebant, significent. Quae tamen opinio non apte convenit cum hoc Graecorum more, quem iam inde ab Ol. 15 in usum venisse videmus [23]), quum fides habenda sit verbis Eustathii [24]), ὅθεν (ab Orsippo i. e. ab Ol. 15) ἐθεσπίσθη γυμνοὺς τοὺς τοιούτους (cursores) ἀγωνίζεσθαι. Statuendum

20) Ap. Marcellin. v. Thuc. §. 3.

21) Chron. n. MCCCCLII.

22) Ex Eusebio sine dubio sumpsit Scaliger (descr. Olymp.) eadem fere verba.

23) Rectissime enim refutavit Boeckhius (C. I. n. 1050) Muellerum (Dor. T. I. p. 260) qui scholiastae Il. XXIII. 683 et Etym. M. maiorem fidem habens quam titulo illi, Pausaniae, Iulio Africano et scholiastae Venet. Il. (l. c.) hanc rem institutam in Ol. 32 transponit; ipse tamen Muellerus sententiam suam pristinam revocasse videtur in Handb. d. Archaeol. §. 336, 2.

24) Iliad. p. 1324 ed. Rom.

est igitur, hunc morem ab Olympicis certaminibus ad alia etiam, praesertim tanta Graecorum festa pervenisse. Sed dicat forte aliquis, Hippoclide archonte primum alios Panathenaeorum ludos a nudis certatoribus habitos esse, quod tamen neque ex verbis Eusebii ullo modo extorqueri potest, quae si diligenter inspicis neque accurata neque certa sunt, quippe ex simplici Pherecydis loco desumpta, — neque omnino verum esse videtur, propterea quod alii athletae non multo ante Thucydideam aetatem subligaculum abiecerunt [25]). Alia est igitur via ineunda ad haec verba explicanda. Neque enim scio, qua ratione verba melius intelligere velimus, nisi statuentes, Hippoclide archonte Panathenaea maiora instituta esse, quae res cum tempore Pisistrati quem hoc fecisse supra coniecimus, haud male convenit, quum hunc tyrannidem paullo post inisse notum sit. Verbum enim ἔτεθη etiam Eusebius, siquidem Pherecyde usus est, ita intellexit, ut τιθέναι τὰ Παναθήναια sit: aliquid novi in Panathenaeis celebrandis instituere, sed hanc rem novam esse certamen gymnicum, perperam credidit. Mirum quidem est, quod scriptores de hoc archonte pauca tantum deque illo Pisistrati instituto gravissimo nihil referunt.

25) Cf. Boeckh. C. I. p. 555.

CAPUT V.

Ut igitur redigamus sollemnitates, quae in Panathenaeis peragebantur, in ordinem seriemque etsi non certam, tamen veri similem probabilemque, necesse est constituamus, quibus maxime rebus haec sollemnia nitantur. Supra vidimus, verba quibus Graeci usi sunt ad festam sollemnitatem significandam, esse admodum varia, atque ita quidem res sese habet, ut ea sollemnia, in quibus festum maxime versatur, huic plerumque nomen dederint. Substantivum quidem, quo omnes fere Graecorum feriae notantur, est ἑορτὴ quod nihil nisi spectaculum significat, ita ut hoc tantum substantivo usurpato, nesciamus, ex quibus potissimum rebus sollemnia constiterint. Saepissime vero Graeci multa sollemnia vocant ἀγῶνας, vel θυσίας, unde apparet qualia fuerint sollemnia feriis singulis propria. Iam quum Panathenaeorum dies festi plerumque appellentur ἀγών [1]), seu ἑορτὴ καὶ ἀγών [2]), et Erichthonius ipse qui primus festum instituit, ludum equestrem Athenienses docuisse dicatur [3]), statuendum est, certamina gymnica [4]) inter antiquissima Panathenaeorum sollemnia fuisse. Verum etiam sacrificia iam Thesei aetate facta esse sequitur ex Plutarchi verbis, qui Theseum Παναθηναίοις

1) Apollod. III, 14. 7.
2) Hesych. s. v. *Παναθήναια*.
3) Marm Par. ep. 10.
4) Liceat mihi certamina vocare *gymnica*, quum quando coeptum sit nudis corporibus certari, iam constet.

θήναια θυσίαν κοινὴν fecisse tradit. Musica autem certamina, de quibus scriptores multo minus narrant, quam de gymnicis, non ab initio in Panathenaeis habita esse, infra videbimus, unde facile colligitur, in his sollemnitatis initium positum non fuisse. Neque vero magni momenti est quaestio illa, utrum ludi gymnici, an sacrificia, an denique lampadephoria initium fecerit, quum res in eo tantum vertatur, ut qualia fuerint illa sollemnia videamus, non quo ordine singula se exceperint. Attamen negari non potest, praeclarum Parthenonis Zophorum hac in re adiumentum nobis ferre, quum in hoc multa festi nostri sollemnia anaglypho expressa videamus, etsi minime confirmaverim, ordinem scenarum illarum, qualem Zophorus nobis ante oculos ponit, verum sollemnitatum ordinem fuisse. Nam ubi lampadephoriam, pugilatum, luctationem aliaque Panathenaeorum sollemnia in Zophoro conspicimus? Sed quum sacrificantes, boum gregem, eosque homines qui vasa sacrifica manibus tenent, citharoedis, auletis et pompae curuli equestrique antecedentes videamus, forsitan etiam nobis licebit, de sacrificiis qualia in Panathenaeis fierent, primum disserere, praesertim quum etiam in Olympiis sacrificia ante certamina haberentur [5].

Ad quae Panathenaeorum sacrificia et Atticae urbes et Athenarum omnes coloniae singulos boves mittebant; atque priusquam coena initium caperet, praeco etiam in hoc festo pro populi Atheniensis salute pre-

5) Paus. V. 9. 3.

cationem communem publicamque fecit. Quae quidem res veri simillima est, quum post pugnam Marathoniam etiam salus Plataeensium his precibus in omnibus festis quinquennalibus factis comprehenderetur [6]). Coenas autem sacrificas maximas atque delicatas fuisse, non tam e Nubium loco notissimo [7]) apparet, quum quam saepe comicus res nimis extollat, satis constet, sed e Posidonio [8]), qui Παναθηναϊκὰ μέγιστα, τὰ μὲν δίχοα, τὰ δὲ καὶ μείζονα commemorat. Quae vasa Panathenaica pocula esse, recte ostendit Boeckhius [9]); sed ea non solum in commissationibus in victoris honorem habitis, verum etiam in coenis sacrificis adhibita esse censeo. Quae quidem vasa, quae multa eaque variae formae usque ad nostram aetatem mansisse videntur [10]), quum noctua duabus frondibus oleaginis circumdata, qua re depicta sunt, ad festum aliquod Minervae apertissime referenda sit, capiunt duos choës, i. e. quadrantes Berolinenses quinque et semissem atque etiam plus. Ecce igitur permagna pocula! Boves autem, non vaccas Minervae sacrificatos esse, videmus non solum e cognomine huius deae ταυροπόλου (Hesych.), sed etiam ex amphora Volcis effossa collectionis Dorovianae [11]), quae huius rei imaginem nigris colo-

6) Herodot. VI. 111.
7) 385. ibiq. Schol.
8) Ap. Athen. XI. p. 495. F.
9) Praef. lectt. hib. Berol. $18^{31}/_{32}$.
10) Cf. Mon. dell' Inst. Tav. XXVII. 48.
11) Mus. reg. Berol. n. 626. Mentionem tantum fecerunt huius vasis Gerhardus in Rapporto intorno i vasi Volc. p. 134 et Muellerus in Hendb. d. Archaeol. §. 371. 8.

ribus in superficie rubra pictam optime nobis ob oculos ponit. Quam nondum editam et minus notam paucis describemus. In latere adverso videmus ad dextram spectatoris partem Minervam tunica peploque indutam, quae manu sinistra ingentem clypeum tenens dextra hastam vibrat. Itaque dea eodem plane statu est, qualem amphorae sensu accuratiori Panathenaicae vocatae nobis praebent; unde et hunc statum habitumque Minervae Panathenaicae proprium et peculiarem et amphoram nostram summo iure ad Panathenaea referendam esse apparet. Quae quidem res confirmatur et reliquis huius imaginis figuris et rebus. Ante Minervam enim conspicimus aram saxis quadratis constructam ad quam accedit sacerdos, quae sacras frondes sine dubio oleaginas Minervam versus tollit. Post quam sacerdotem a tribus iuvenibus fune ducitur victima, quam bovem esse apparet, non vaccam, ut credere videntur Muellerus et Gerhardus. Etenim et boves iuxta Minervam stantes vas Musei regii Parisiensis nobis praebet, et apud Homerum [12]) Minervae Poliadi Troianae boves sacrificantur. Neque vero cum Panofka [13]) sentire possum qui hanc belluam symbolum aquae esse censet, sed e natura Minervae Poliadis quam supra posuimus, colligi licet, bovem ad fertilitatem terrae alicuius, itaque hoc loco terrae Atticae referendum esse.

12) Il. VI. 93.
13) Mus. Bartold. p. 68. n. 2.

CAPUT VI.

Nulla igitur alia re, nisi sacrificiis precibusque
ria, ut ita dicam, totius solemnitatis pars in utroque
nathenaeorum festo cernebatur, etsi etiam in his re-
is seriis libidines corporisque voluptates admodum
gebant. Quaecunque enim praeterea minoribus cum
aioribus communia erant, serenam laetamque prae se
runt speciem. Atque primum quidem lampadepho-
, quae in ludorum gymnicorum numero non repo-
tur, utrum ante, an post hos ludos habita sit, nos
git, quum non modo scriptores, nihil de hoc ordine
ferant, sed ne ex ratione quidem, qua alia festa ce-
brabantur, de hac re iudicari possit. Attamen nobis
niicere liceat, lampadephoriam Panathenaicam iis die-
s ad vesperam factam esse, quibus luce gymnica ha-
bantur certamina, propterea quod Plato [1]) in Rendi-
is ad vesperam lampadibus certatum esse dicit, ita
hoc in Panathenaeis quoque eodem tempore factum
e veri simillimum sit. Lampadephoria enim multo
gis cohaeret cum certaminibus gymnicis, quam cum
sicis, etsi ipsa illis non annumeratur. Nam magna
rporis exercitatione in eam opus fuisse videmus ex
istophane [2]). Neque vero fidem habere possumus
ctori argumenti in Mid. [3]) ex quo in maioribus tan-

1) Reip. init.
2) Ran. 1085.
3) p. 510.

tum Panathenaeis hoc factum esse apparet, quum qualis sit huius inepti scriptoris fides supra viderimus; praesertim quum alius locus inveniri non possit, qui cum isto consentiat. Suidas enim, lexicographi 4) atque nonnulli scholiastae 5) hoc de Panathenaeis simpliciter tradunt, nihil adiicientes ex quo de maioribus tantum colligere possimus. Neque etiam ex illo comici loco quidquam de hac re definiri licet, quum Panathenaea simpliciter vocata non minus recte minora esse possint, quam maiora, etsi Ranarum fabula Olympiadis anno tertio acta est, q. i maiora modo celebrata erant. Quamquam enim comicum de Panathenaeis protinus antecedentibus loqui verisimile est, tamen minime sequitur, in maioribus tantum, non in minoribus lampadibus certatum esse. Immo potius auctor Etymologici M. 6) aperte ter *quotannis* Athenis lampadephorias exstitisse dicit, videlicet Minervae, Vulcani, Promethei, quod idem parum accurate Suidas significare videtur 7). Hoc igitur constituto, quaerendum est, ubi et qua ratione Athenienses in Panathenaeis lampadibus certaverint.

Ea autem de caussa plerique scriptores ter tantum quotannis Athenis lampadephoriam factam esse nar-

4) Harp. s. v. *Λαμπάς*. ibiq. Vales. Suid. s. h. v. Etym. M. s. v. *Κεραμεικός*. Lex. Seg. p. 277.

5) Schol. Ar. Ran. 131. 1087.

6) l. c.

7) Miror igitur quod Boeckhius (Staatsh. I. p. 497) lexicographi verbis usus non est ad refellendam auctoris arg Mid. sententiam.

rant, quia has tres in Ceramico agebantur 8). Praeterea enim Pana lampadibus honorabant prope arcem 9), et Dianam inde a Socratis aetate in Bendideis, quae in Piraeeo celebrata esse scimus. Atque hoc quidem in Minervae honorem non ideo factum esse puto, quod Minerva vocabatur Luna, ut Muellerus 10) vult. Quid enim lunae cum Prometheo atque Vulcano commune? Etiamsi autem Medusae caput quod Minervae proprium erat, antiquissimis temporibus nihil nisi lunae faciem significabat, Minerva tamen ipsa a posteris demum scriptoribus, quorum ni fallor Istrus 11) primus est, Luna appellata est, atque etiam Bendideorum lampadephoria in Dianae honorem acta ἑορτὴ tantum ἐπίδεινος erat. Neque igitur cum illo V. D. credere possum, Minervam iam antiquitus tanquam lunae deam cultam esse, sed haec Minervae vis a posteris demum temporibus derivanda esse videtur. Nam Minervam Panathenaicam Medusae caput in aegidem suam nondum recepisse videmus ex huius simulacro, quale vasa Panathenaica nobis offerunt. Immo potius Minervae in Panathenaeis lampadephoriam factam esse puto propterea quod haec dea artium et ignis etiam ingenii lucem ostendit, unde γλαυκῶπις dicebatur. Hoc enim probant Hellotia quoque quae in Creta in Europae honorem agebantur i. e.

---

8) Praeter locos laudatos cf. Xen. de rep. Athen. III. 4.

9) Herodot. VI. 105.

10) Min. Pol. p, 5.

11) Ap. Harpocrat s v. Τριτομμύς.

deae quae longe prospicit [12]), quod idem festum a Corinthiis Minervae τῇ Ἑλλωτίδι agebatur.

Locus autem quo lampadibus currebatur tribus illis feriis, accurate definitur a veteribus, maxime vero a Pausania [13]) et Aristophane [14]). Lampades enim accendebantur in ara Amoris [15]), quam iuxta Academiam Charmo Atheniensi Pisistratus aedificaverat. Iam lampade accensa iuvenes currebant ab ara Promethei, quam Amoris arae propinquam fuisse ex his locis colligendum est, per Ceramicum extra urbem situm usque ad urbis moenia [16]). Tres autem adolescentes Athenienses hunc ludum semper adornasse videmus et ex ipsius Pausaniae verbis, qui lampadibus omnium trium extinctis victoriam a nullo reportatam esse dicit, et ex vasorum imaginibus, quae nunquam plures quam tres adolescentes lampadibus currentes nobis ante oculos ponunt [17]). Quicunque igitur huius ludi participes esse volebant, in partes dividebantur, quae ternos adolescentes continebant, ita ut tot praemia proponerentur, quot partes exstarent [18]). Qui quidem adolescentes non ita

12) Quam vocem Ἑλλώτια a verbo ἑλεῖν auctor Etym. M. perperam derivat. Eandem enim habet originem quam Ἑλένη, Σελήνη, Ἕλλη atque nostrum *hell*.

13) I. 30. 2. cf Suid. et Etym. M. s. v. Κεραμεικός.

14) Ran. 129 sqq. cf. 1085 sqq. Utriusque loci vid. Schol.

15) Plut. Solon. c. 1. extr.

16) Plura de hoc Ceramico vid. ap. Meursium de Ceramico gemino et Leake topogr. of Athens p. 290. sqq.

17) Tischbein, Vases d'Hamilton. T. II. pl. 25. T. III. pl. 48. Illud autem horum vasorum ad Panathenaea pluribus de causis non pertinet.

18) Errare igitur videtur Caylus (Recueil d'Antiquités T. I.

nobiles fuisse recte coniecit Vargas-Macciucca [19]), praeeunte Aristotele, id quod sequi videtur etiam ex Bacchi [20]) verbis qui in Panathenaeis hominem lentum pigrumque Ceramicensibus verberibus caesum esse Aeschylo narrat [21]). Ludus autem in eo positus erat [22]), ut currentes facem accensam retinerent; exstincta vero face primi, hic victoriam non consequitur, ita ut deinde secundus vires suas experiatur. Exstincta autem omnium trium face, victoriam nullus adipiscitur. Quae res non ita facilis erat; quum eae quidem veterum faces, quibus in certaminibus utebantur, cereae nostrisque lucernis similes essent. Infigebantur enim lychnucho, qui sursum disco praeditus erat, sicut ex multis artis monumentis videmus.

Sin autem quaerimus, quale fuerit victorum qui vocabantur λαμπαδηφόροι [23]), huius ludi praemium, consulenda sunt haec artis monumenta, quum scriptores nonnisi in universum de praemiis victorum Panathenaicorum loquantur, quae res in lampadephoriam convenire non videtur, propterea quod haec neque ludis gymnicis annumeranda est, esti nudis corporibus cur-

---

p. XVIII. sqq) qui plures quam tres unum praemium petivisse statuit.

19) Spiegazione di un raro marmo Greco. Inscriptionem huius marmoris iterum edidit Boeckhius (C. I. n. 258) qui eam rectissime Athenis adscribit.

20) Ar. Ran. 1087. sqq.

21) Quae verbera vocabantur Κεραμεικαὶ πληγαί. Hesych. s. h. v. et Schol. Ran. l. c

22) Paus. l. c. Boeckh. Staatshaush. I. p. 496.

23) Hesych s. v. Λαμπας

rebatur, neque in ullo vasorum Panathenaicorum conspicitur, quae quidem maiorem ludorum gymnicorum numerum nobis suppeditare videbimus, quam quem scriptorum loci tradunt. Itaque hic inter vasorum imagines spectanda est ea, quae mea quidem sententia lampadephoriae Panathenaicae finem aperte ostendit[24]). Adolescens enim nudus qui reportavit victoriam ornatus est corona oleagina, quod cum Suidae[25]) verbis optime congruit, ita ut hoc vas ad Panathenaea referendum esse appareat. Neque vero cum Panofka statuendum est, vas ipsum esse praemium victoris, propterea quod neque hoc amphorae Panathenaicae formam habet, neque ullum aliorum vasorum hoc ludo ornatorum. Quin etiam minime constat, amphoram fuisse praemium lampadephoriae[26]), sed ex inscriptionibus satis apparet, adolescenti lampadem illam, qua victoriam reportaverat, praemio esse datam, quam hic Mercurio ludorum antistiti vel alii deo consecrare solebat. Ita est enim intelligendus titulus in gymnasio Athenarum repertus[27]) aliusque Musei Britannici[28]),

---

24) Panofka, Musée Pourtalès pl. V.

25) s. v. *Παναθήναια*.

26) Manifestum enim esse videtur, neque vas illud Hamiltonianum modo laudatum, in quo Victoria taeniam victori offert, neque aliud Musei Pourtalesiani vas, in quo victor taenia coronatus conspicitur (Bröndsted Reisen in Griechenland. T. II. p. 291) ad Panathenaea referendum esse, propterea quod de taeniis Panathenaicis neque ex scriptoribus, neque ex vasis quidquam comperimus.

27) C. I. n. 243.

28) Synopsis n. 219.

quem edidit Boeckhius [29], hanc rem apertissime probat:

Ἆθλα τὰ τῆς νίκης Ὡράριος Ἥρα [κλεώτης]
Λαμπάδας Ἑρμείᾳ ϑῆκε καὶ Ἡρακλεῖ.

Referenda enim esse haec verba ad Panathenaea sequitur ex titulo statim considerando [30]. Itaque etiam ad Panathenaicam lampadephoriam pertinet anaglyphum illud, quod medio loco ansam facis duobus sertis olea-ginis cinctam praebet [31].

Pedibus autem pueri adolescentesque antiquissimis temporibus hunc ludum faciebant semperque nudis corporibus, et Platonis demum aetate in Bendideis primum equites facibus certarunt, quod in Bendideis inde ab illo tempore observatum esse videtur. Etsi autem admodum veri simile est, in Panathenaica quoque lampadephoria hunc morem adhibitum esse, quia Athenienses hac re maiorem huic festo splendorem tribuere poterant, nihil tamen certi de hoc more constitui potest [32].

Adstat autem in eo vase Hamiltoniano, quod Panathenaea spectare diximus, tribus adolescentibus quorum duo faces tenent, tertius autem desperans de

29) C. I. n. 250.
30) Staatshaush. T. II p. 165. C. I. n. 251.
31) Caylus Recueil d'Ant. l. c. C I. n. 242.
32) Neque enim audeo, equites illos faces tenentes, quibus anaglypho ornatum est marmoreum vas Pergamenum, (Choiseul-Gouffier, Voyage en Grèce T. II. pl. 4) ad Panathenaicam lampadephoriam referre, deficientibus in hanc rem argumentis certis. Ceterum lampadephoria equestris non vocabatur ἱπποδρομία, ut vult Meursius. (Panath. c. 8).

victoria, suam abiecit, vir palliatus, qui gymnasiarchus habendus est. Quamquam enim athlothetae reliquis ludis praeerant, lampadephoriam tamen curabant gymnasiarchi decem, quorum e quaque decem tribuum singuli eligebantur. Qui gymnasiarchi optimis reipublicae Atheniensis temporibus annui erant atque in summo honore habebantur. Huc enim spectat titulus Atheniensis [33]), qui dicit Chaeronda archonte coronatum esse a tribulibus Autosthenidem, Panathenaeorum gymnasiarchum (Ol. 110, 3), qui Mercurio ἐναγωνίῳ eippum marmoreum dedicavit. Mercurius enim maxime omnium deorum certaminibus cuiusque generis praerat, ita ut, etiamsi lampadephoria in Minervae honorem haberetur, illi tamen gratiae agi poterant. Atque simili modo Apollo tanquam ludorum musicorum praeses cum Panathenaeorum ludis musicis coniunctus erat; nunquam enim Graeci in singulis sacrificii vel festi alicuius rebus, quarum summa quidem uni deo certo sacra erat (ut Panathenaea Minervae Poliadi) eius dei obliviscebantur, ad quem potissimum singulae res pertinebant, quam ob rem palaestrae Atticae cuiusque generis Hermis phallicis inde ab antiquissimis artis temporibus ornatae erant. Tot autem testimoniis iisque certissimis confirmatur, gymnasiarchos praefuisse lampadephoriae, ut Pollucis [34]) verba: ὁ δὲ Βασιλεὺς μυστηρίων προέστηκε μετὰ τῶν Ἐπιμελητῶν καὶ Λη-

33) Titulus modo commemoratus not. 30. Plures de gymnasiarchis locos vid. ap. Boeckh. Staatsh. I. 497.

34) VIII. 90.

πάσων καὶ ἀγώνων τῶν ἐπὶ Λαμπάδι non ad Panathenaeorum lampades referenda esse videantur.

CAPUT VII.

Iam etsi lampadephoriam iis diebus ad vesperam factam esse coniecimus, quibus luce ludi gymnici habebantur, de illa tamen paucis disseruimus, ludorum gymnicorum ratione et generibus nondum expositis, quia series et gymnicorum et musicorum, qualem vasa Panathenaica nobis offerunt, interrumpi non posse videbatur. Atque in Zophoro quidem Parthenonis citharoedi et auletae pompae curuli et equestri antecedunt, attamen minime credere possumus, musicos ludos habitos esse ante gymnicos, propterea quod hi antiquissimi erant, illi autem Periclis demum aetate in Panathenaeis primum habiti sunt. Nam in illo Zophoro verus rerum ordo pulchritudini legibusque artis posthabendus erat.

Sed priusquam ad ipsos hos ludos gymnicos eorumque varia genera describenda transeamus, quaerendum est, ex quibus maxime fontibus haec res haurienda sit. Quicunque enim hos ludos Panathenaicos inde a Meursio tractarunt, solis scriptorum Graecorum locis usi sunt, idque ita, ut perpauca tantum de eorum vera ratione variisque generibus exponant. In quibus ludis depingendis et illustrandis videbimus id, quod supra satis superque dixi, videlicet quam pauca in rebus

Graecorum sacris describendis, maxime vero in festis cognoscendis proficere posimus, nisi monumentis artis adhibitis scriptorum locos quasi oculis subiecerimus. Hac enim in re clarissimum lumen summumque adiumentum nobis afferunt *vasa quae vocantur Panathenaica*, quorum summa pars inter ea est, quae fere abhinc annos octo in Etruriae sepulcris effossis reperta sunt. Quid est autem, quod recentioribus temporibus res et fabulas Graecorum melius clariusque illustravit, quam vasa fictilia, quibus ab illo inde tempore Musea artium etiam in Germania florentia in dies propemodum magis magisque locupletantur? Quin etiam ad historiam artium Graecarum explicandam signa marmorea ante hos viginti quinque annos detecta, quibus olim templum Minervae Aeginetieum gaudebat, fortasse minus conferunt, quam vasorum illorum ingens copia, quae quatenus etiam in Etruriae oppidis figlina et pictura floruerint, optime nos edocent. De quorum origine tempore pretioque multa disserere et nimis longum et a proposito nostro alienum esse censeo, praesertim quum tot tantique viri, artium Graecarum peritissimi, in his rebus sagacitatem suam ita exercuerint [1]), ut aliquid novi in lucem proferri perquam difficile sit, etsi magna illa, in qua summa rei versatur, quaestio nondum ita diiudicata est, ut de vasorum Volcentium vera origine omnes unum idemque censeant. Neque

1) Brevissime virorum doctorum opiniones affert C. O. Mueller, Uebersicht d. Griech. Kunstgesch. (Allg. Lit. Zeitg. 1835. n. 104).

etiam exspectari potest, rem mox ad certiorem finem redactum iri, licet Academia antiquitatum Romana nuperrime hanc quaestionem denuo proposuerit. Sed non omnia, quae ludos Panathenaicos nobis ostendunt, vasa in Etruriae sepulcris prope Volcos inventa sunt, nam primum quod innotuit vas Burgonianum propter ipsas Athenas in lucem prodiit. Alia reperta esse aliis Italiae et Magnae Graeciae locis infra videbimus.

Sed antequam ad vasorum Panathenaicorum, quorum numerus plus quam triginta iam explet, latus aversum accuratius describendum accedamus, de eorum forma, qua nomen ususque definitur, pauca monere opus esse videtur, quia haec res de usu a Graecis in Panathenaeis observato multa nos edocet. Minus aptum quidem videri potest, de praemiis a victoribus in certaminibus reportatis disserere, antequam de certaminibus ipsis dictum sit, attamen de vasorum imaginibus agi non licet, nisi eorum forma ususque expositus est. Atque in universum quidem vasorum quaecunque usque ad hoc tempus effossa sunt, forma eius generis est, quod Graeci ἀμφορεὺς [2]) sive ἀμφιφορεὺς [3]) (*langella, vaso a due manichi*) vocabant, ex quo nomine eiusmodi vasa duabus ansis praedita esse apparet. Habent autem collum angustum, ornamentis architectonicis praeditum, et ventrem capacem, ita ut aptissima sint ad asservandum vinum, oleum vel alium id genus liquo-

2) Schol. P. Nem. X. 67. ed. Boeckh. Simonid. in Analect. T. I. p. 72. 69. ed. Iacobs.

3) Hesych. s. h. v.

rem, quia operculo facile obtegi poterant, quam rem in multis amphoris observamus quae operculo praeditae repertae sunt 4). Itaque haud immerito vasa huius generis omnia vocantur ἀμφορεῖς Παναθηναικοί 5), ita tamen ut etiam inter haec differentia quaedam statuenda sit. Atque Gerhardus quidem qui vasa Panathenaica usque ad annum huius saeculi trigesimum reperta diserte egregieque explicavit 6), tria harum amphorarum genera distinguit: 1) *amphoras maximas*, inscriptione, nota insignes, quas ipsas praemio victoribus publice datas esse censet; 2) *amphoras mediocris magnitudinis*, inscriptione plerumque carentes, quas victoribus Panathenaicis a parentibus vel amicis privatim donatas esse veri simile est; 3) *parva vascula* stili elegantioris rubrisque figuris decorata. Quae tamen ultima ad Panathe-

4) Sicut vas Bartoldianum Mus. reg. Berol. n. 642. de quo cf. Panofka, Mus. Bartoldiano. p. 65. aliaque multa.

5) Panofka Recherches sur les noms des vases. n. VI. Gerh. Rapporto intorno i vasi Volcenti. Ann. dell' Inst. 1831. p. 229 sqq. Mon. dell' Inst. Tav. XXVI. 4—6. Multa illa amphorarum nomina, quae Panofka distinguit, a Letronnio (Journ. des Savants, 1833. p. 397 sqq.) magnopere idque merito circumscribuntur; in eo autem errare videtur Letronnius, quod ea sola vasa amphoras Panathenaicas vocat, quae inscriptionem τῶν Ἀθήνηθεν ἄθλων praebent, quum ex mea quidem sententia Minervae Panathenaicae simulacrum amphoras Panathenaicas a reliquis amphoris distinguat. Neque enim negare poterit V. D. vas Dorovianum, musico certamine ornatum, aliaque multa, quae enumeravit Gerhardus, esse amphoras Panathenaicas, deficiente inscriptione. Optime rem exposuit Gerhardus (Rapporto l. c.), nisi quod se nomen Ἰσθμιον iam revocasse mihi dixit.

6) Ann. dell. Inst. 1830. p. 209 sqq. Mon. dell' Inst. Tav. XXI. XXII.

naca ita referenda esse, ut etiam haec praemia sint victoribus oblata, minime credo; etenim Posidonii locum 7) de poculis tantum agere, non de praemiis Panathenaicis rectissime demonstravit Boeckhius 8). Neque vero in his ultimis certa argumenta inveniri possunt, ex quibus ea dona esse manifestum sit, quum solis figuris vel rebus Minervam spectantibus, sicut noctua et fronde oleagina, ornata sint, ita ut haec vascula σκύφους, genus ποτηρίων, appellari liceat 9); Restant igitur duo tantum genera vasorum praemiatiorum, (ut hoc verbo, praecedente Boeckhio, utar) alterum publice, alterum privatim victoribus gymnicis datum. Videmus enim in omnibus utriusque generis vasis, etsi pleraque eo tempore confecta sunt, quo iam colores rubri superficiei nigrae illinebantur, priscum tamen pingendi modum servatum esse, unde apparet, σκύφους illos rubris figuris depictos vasis praemiariis adnumerandos non esse. Simili enim modo observamus priscum sculpturae stilum etiam in monumentis aetatis posterioris servatum 10), quia consecratam quasi horum monumentorum naturam artifices retinere debebant, unde fit, ut etiam vasorum Panathenaicorum imagines primo adspectu minus delectent, quam quae perfectiorem pingendi modum ostendunt. Neque veri

7) Ap. Athen. XI. p. 425. A.

8) Praef. lectt. hib. univ. Berol. 1831/32.

9) De quibus supra diximus.

10) Multa huius rei exempla offerunt omnia artium antiquarum Musea, quorum nullam fere vel tripoda Delphico, quem Hercules Apollini eripit, vel anathemate victoris musici Apollineo caret.

utrumque vasorum latus prisca ratione pictum est, sed magna est differentia, si artem spectas, inter latus adversum Minervae vetusto simulacro ornatum, et latus aversum, in quo varia illa certaminum gymnicorum genera conspiciuntur [11]); ita ut hoc latus optime nos edoceat, quantum artifices in his rebus studium operamque collocarint. Fere omnia enim vasa Panathenaica quae Etruriae sepulcra, quin etiam ea quae Magna Graecia et Sicilia nobis dederunt, tam diligenter depicta sunt, ut vel laevitatem polituramque vasorum Nolanorum aequare videantur. Burgonianum tamen solum vas, quod quasi exemplar reliquorum considerandum est, etiam vetustiorem picturae stilum indicat, quam alia, quae res non solum in Minervae simulacro, praesertim in eius simplici vestimento, sed etiam in aurigae, quem latus aversum ostendit, facie vultuque conspici potest. Itaque non immerito hoc vas Burgonianum ex ipso, cuius stilum literasque praebet, tempore originem trahere collectum est. Quae res non minus quam inscriptio statim consideranda opinionem vasorum in Etruria a Graecis factorum, quam Gerhardus aliique viri doctissimi elocuti sunt, confirmare videtur.

Quarum omnium amphorarum latus adversum nobis ostendit Minervam [12]), indutam tunica longa, cui

11) Cf. Gerh. Rapporto. p. 21.

12) Omnes hominum nigris coloribus in vasis pictorum facies obliquae pictae sunt; ita ut unam tantum genam, seu dextram, seu sinistram videas; quin etiam tum, quum corporis totius latus adversum conspicis, caput, sicuti in anaglyphis artis aegypticae seu ad dextram seu ad sinistram conversum est.

plerumque stellae, lineae vel maeandri ornamenta intexta sunt. Aegis autem tunicae iniecta semper caret Medusae capite, quod in omnibus fere antiquissimorum Minervae simulacrorum conspicitur, ita ut dea Panathenaica quasi vetustior sit, quam illa quae Medusae caput in aegidem iam recepit. Manus dextra sublata vibrat hastam, quae res quum in omnibus huius generis vasis occurrat, quasi gravissimum Minervae Panathenaicae signum esse videtur; sinistra autem manus tenet clypeum ingentem, qui hoc bracchium prorsus obtegit. Cuius clypei insignia quum tam varia sint, ut raro tantum unum idemque bis inveniatur, tam difficilia sunt explicatu, ut interpretes adhuc nesciant, utrum ad Minervae vim aliquam, an ad lateris aversi ludum gymnicum referenda sint. Etsi enim eorum explicatio interdum manifesta et recta videri potest, sicuti in musica illa amphora infra commemoranda, tamen pictor persaepe ad arbitrium egisse videtur, quum quanta fuerit varietas signorum, quibus clypei militum Graecorum praediti erant, satis notum sit. Minervae autem Panathenaicae militaris quasi, non mitis et tranquilla natura inest; huius enim peplo intexta erat pugna, qua Gigantes vincit. Forsitan igitur miraris, quod Minerva qualem vasa Panathenaica nobis praebent, plerumque peplo induta non est [13]; sed magna

---

Minervae autem Panathenaicae semper sinistrum tantum latus conspicitur.

13) Laciniae tantum pepli conspiciuntur in amphora illa musica collectionis Dorovianae et in gymnica Feolianae, quae nondum edita Gerhardi benignitate in conspectum mihi venit.

Panathenaea, in quibus peplus circumferebatur. Pisistrati demum aetate instituta esse diximus; atqui quidquam in prisco hoc deae simulacro commutare nefas erat. Apparet enim ex hoc deae habitu vestituque, qui in omnibus vasis Panathenaicis semper unus idemque est, praeterquam quod ornamenta tunicae et clypei insignia inter se differunt, nos priscum aliquod Minervae simulacrum idque consecratum ante oculos habere quod Panathenaicum esse ex inscriptione, qua amphorae maiores praeditae sunt, elucet. Quaerendum est igitur qualis sit huius Minervae natura qualeque ei tribuendum sit cognomen. Quam rem inquirentibus nobis tres occurrunt Minervae, ut ita dicam, naturae viresque. Nam si huius simulacri habitum statumque corporis obiter adspicimus, nos Minervam Propugnatricem agnoscere facile credemus; sed e Pausaniae [14]) verbis quibus hanc Phidiae Propugnatricem describit et ex nummis hoc simulacro ornatis [15]) apparet, hanc deam hastam non vibrasse, sed in solo collocatam habuisse, quippe quum eius acumen procul conspici posset. Praeterea etiam e festi nostri natura, quae totam rempublicam Atheniensem attingit, colligi licet, Propugnatricem non fuisse praesidem Panathenaeorum [16]). Maiorem autem veritatis speciem prae se fert sententia

14) I. 28. 2.

15) Emblema ap. Leake topogr. of Athens. cf. Millin. Gal. Myth. XXXII. 133.

16) Muellerus igitur (Handb. d. Archaeol. §. 99. n. 1) et Levezovius (Ant. Denkmäler im Antiquar. des k. Mus. zu Berlin. Gallerie d. Vasen. n. 642. 644) Minervam nostram Propugnatricem perperam vocant.

Gerhardi [17]) aliorumque, qui vasa Panathenaica Minerva Virgine ornata esse dicunt; sed qui quae Pausanias de Phidiae Minerva Virgine nobis tradidit, accurate legit, naturamque Panathenaeorum supra expositam reputat, etiam hanc sententiam facile refutare poterit [18]), ita ut Iacobus Millingen [19]) verum sensisse nobis videatur, qui Minervam vasis Burgoniani effictam esse tanquam antistitem urbis, cui nomen dederit, rectissime censet, etsi argumentis ad sententiam suam probandam usus non est. Minervae enim Poliadi totum Panathenaeorum festum sacrum erat.

Columnae illae, quas in utroque Minervae latere omnes amphorae Panathenaicae, excepta Burgoniana, ostendunt, ad certamina huius festi aperte sunt referendae, neque vero eas ipsius stadii signa esse cum viris doctissimis credere possumus, quum etiam vas illud musicum iis ornatum sit. Unde has columnas nihil nisi locum quo certamina huius festi, sive gymnica, sive musica habebantur, significare censemus. Nam non solum galli, certaminis gymnici symbolum, columnis impositi sunt, sed etiam vasa chytris illis similia [20]), quibus frondes laureae victoribus Pythiis praemio datae inserebantur. Quae chytrae maxime

17) Prodr. mythol. Kunstmyth. p. 119 sqq. cf. Ann. dell' Inst. 1830. p. 214. Gerhardi sententiam probare videtur Panofka (Mus. Bartold. p. 66).

18) Ad quam rem mox accedam, quum Gerhardi V. Cl. auctoritate amphoram Panathenaicam certamine musico ornatam (Mus. reg. Berol. n. 649) edere et explicare mihi propositum sit.

19) Anc. uned. mon. Ser. I. painted Greek vases. p. 2.

20) Sicuti in amphora musica commemorata.

quidem certaminis musici signa sunt, sed quum etiam gymnicam [21]) his ornatam inveniamus, eas unumquodque certaminis genus attingere apparet. Atque gallos quidem in universum pugnae et certaminis signa esse [22]) videmus quum ex anaglypho Musei regii Parisiensis [23]), tum e multis vasis fictilibus, quae athlothetas manu gallos tenentes saepissime nobis ostendunt [24]). Verum in vasis Panathenaicis galli imprimis ad Minervae naturam bellicam referendi sunt [25]), quum Pausanias [26]) Minervae Eleae galeam gallo ornatam esse, propterea quod huic avi bellicosa et pugnax natura insit, rectissime dicat [27]). Atque ita gallum etiam iuxta Mercurii Enagonii pedes stantem in nonnullis gemmis sculptis [28]) invenimus, qua ex re hanc avem semper naturae bellicae, non industriae et sedulitatis symbolum esse appa-

---

21) Vas dico collectionis Feolianae supra laudatum.

22) Pind. Ol. XII. 20. cf. Boeckhii Expl. p. 210.

23) Clarac Musée de Sculpt. pl. 200.

24) Gerhard Rapporto p, 158.

25) Etiam ex hac re Minervam tanquam certaminum Panathenaicorum praesidem, Virginem non esse elucet.

26) VI. 26. 2.

27) Immerito igitur vituperat Quatremère de Quincy (Iup. Olymp. p. 226) hanc Pausaniae explicationem, atque gallum illius statuae Eleae ad Minervam Operosam referre mavult, quia galli iam prima luce vigilare soleant. Neque enim credibile est, Minervam arcis Eleae Operosam atque sedentem fuisse. Quid enim Elide Minerva Operosa?

28) Winckelm. Descr. des pierres gravées de M. Stosch. Cl. II. n. 386. 391. Cf. Mus. Worsl. Tav. XXI. 3. Panofka Hyp. Röm. Studien p. 161. Athenaeus quidem (IX. p. 374. D.) substantivum ἀλεκτρύων ortum esse dicit, ἐπειδὴ ἐκ τοῦ λέκτρου ἡμᾶς διαγείρει, sed a verbo ἀλέκω, ἀλέξω derivandum esse censemus.

ret; neque enim in ullo artis monumento, quod Minervam Operosam nobis ostendit, gallum invenimus. Quin etiam in Panathenaeis ipsis, incertum est quo die, gallorum certamina habebantur, quae a Themistocle post victoriam quam Graeci a Persis reportarunt instituta esse Aelianus [29]) refert. Neque enim dubito, quin avium certamina in stadio Panathenaico habita, de quibus Philo [30]) loquitur, eadem esse q[illegible] Aelianus uno cuiusque anni die in theatro facta esse dicit. Quae quidem res cui maxime adolescentes spectatores sese praebebant, fiebat in pegmate quadrato, cui nomen τηλία [31]), atque ita quidem, ut cuique Athenarum civi gallum suum, quem fortissimum esse credebat, in arenam mittere liceret. Unde facile coniicere possumus, eum civem, cuius gallus victus erat, quasi ipsum victum et ignominia affectum esse, quum moris esset, ut gallus victus victorem quasi triumphantem sequeretur.

Denique etiam consideranda est nota illa lateris adversi inscriptio, quae plerumque sic scribitur: TON AΘENEΘEN AΘΛON, τῶν Ἀθήνηθεν ἄθλων. Quae verba in vasis Panathenaicis, quaecunque ob magnitudinem suam primo illi amphorarum generi a Gerhardo constituto adnumeranda sunt, sine ulla fere exceptione [32]) leguntur, cuius rei plurima quidem exempla

---

29) V. H. II. 28.
30) Ap. Meurs. Panath. c. 9.
31) Etym. M. s. h. v.
32) Excipienda est sola amphora, quam Panathenaicam esse ma-

praebet Museum Principis Caninatis, verum etiam alia vasa Volcis effossa, quae collectioni Berolinensi, Feolianae (iam Monacensi), aliisque inserta sunt. Quin etiam vas Kollerianum, Nolae inventum, haec verba quae ubique eodem fere literarum ductu scripta sunt, offert. Solum autem vas Burgonianum, quod quasi exemplar eorum quae in Italia et maxime quidem in Etruriae agris reperta sunt, considerandum est, alias nobis ostendit literas, ex quibus nos aliam prorsus inscriptionem ante oculos habere apparabit. Quae verba sic scripta sunt a dextra ad laevam:

33) IMΞ:NOΛΘANΘΞNΞΘANOT

Quae differentia maior est quam plerique censuerunt. Facile enim coniici licet, literam illam Θ inter E et N vocis AΘENEON errore quodam ortam esse e litera O, ita ut ex mea quidem sententia tota haec inscriptio Burgoniana ita sit legenda: *τῶν Ἀθηνέων ἆθλόν εἰμι*, i. e. praemium Athenarum sum sive praemium ab urbe Athenarum datum. Rectissime enim Boeckhius[34]) Ἀθηνέων Genitivum Ionicum esse censet pro Ἀθηνῶν, non pro Ἀθηναίων, etsi eius verba: „si Ἀθηναίων dices festum designare, debebat esse Παναθηναίων“ minime probare possumus, quum hunc virum doctissimum certo non fugiat, Ἀθήναια, primum et principale huius festi nomen, in hac in-

nifestum est, Mus. Princ. Can. n. 11, quae non hanc inscriptionem offert, sed verba: *ΕΛΛΕΛΑΚΑΛΟΣΝΙΚΟΝ*. cf. Gerh. Ann. d. Inst. 1830. p. 214.

33) Millingen Anc. uned. mon. Pl. I. Boeckh. C. I. n. 38. Mueller Denkm. d. A. K. Taf. XVII.

34) l. c.

iptione posterioris temporis servatum esse potuisse, le si inscriptio ΑΘΕΝΑΙΟΝ offerret, hoc vas Theaetatem superare minime sequeretur. Et si legis ΑΘΕΝΕΟΝ, non ΑΘΕΝΕΘΝ, etiam lacuna inter et N esse non potest, quam revera non inveniri hi confirmavit Gerhardus. Iam quum alia vasa quae runt verba manifesta: ΤΟΝ ΑΘΕΝΕΘΕΝ ΑΘΛΟΝ Etruriae potissimum agris detegerentur; etiam vasis rgoniani substantivum ΑΘΛΟΝ non Nominativum gularis, sed Genitivum pluralis numeri esse crede-at interpretes [35]), ita ut etiam huius vasis verba hunc sum praeberent: Sum ex praemiis Athenarum. que vero intelligimus, cur dictum sit: τῶν ἄθλων um vas ipsum esse praemium appareat ex verbo εἰμί ecto. Ecce igitur discrimen magnum! Vas Burgonum Athenis repertum quum offerat verba: τῶν θηνέων ἄθλόν εἰμι, manifestum hoc ipsum vas oleo oletum praemio datum esse victori alicui Panathenaico, sed quum reliqua vasa alibi effossa habeant inscriptionem: τῶν Ἀθήνηθεν ἄθλων, haec vasa omnia n ipsa victoribus Panathenaicis praemio data, sed ad emplar Graecum in aliis, praesertim Etruriae oppi- facta esse sequitur. Mirum enim esset, si vas ab a urbe victori datum vocaretur: τῶν Ἀθήνηθεν λων, quum neque Genitivus numeri pluralis, neque verbium loci bene explicari posset. In aliis autem is, non Athenis repertis, de industria et verbum ὶ omissum et ΑΘΕΝΕΟΝ in adverbium quod lite-

35) Etiam Boeckhius C. I. p. 450.

ras eiusdem paene formae habet: ΑΘΕΝΕΘΕΝ commutatum est. Εἰμὶ est enim omissum, quia artifici non licebat, praemium publice datum et quasi consecratum ita imitari, ut eius opus et ipsum praemium esse videretur. Omisso autem verbo εἰμὶ et Ἀθηνέων in Ἀθήνηθεν commutato, etiam vasa in Etruria inventa speciem quidem vasorum praemio datorum prae se ferunt, sed haec vasa revera praemia non fuisse apparet ex eo, quod nullum usus vestigium ostendunt. Quae commutatio inscriptionis admodum faceta atque ingeniosa erat, nam literae verborum ΤΟΝ et ΑΘΛΟΝ quae in vase Burgoniano coniungenda non esse vidimus, prorsus servari poterant, sed ita, ut horum sensus plane alius fieret. Etenim quum iam scriberetur ΤΟΝ ΑΘΕΝΕΘΕΝ ΑΘΛΟΝ, articulum et substantivum ita iungendum esse manifestum est, ut inscriptio sic explicanda sit: ex praemiis quae Athenis reportata sunt, vel potius: quae Athenis veniunt.

Quae quum ita sint, haec inscriptionum differentia ad quaestionem illam de origine vasorum Volcentium expediendam aliquid conferre videtur. Nam quum inter amphoras in Etruria effossas nulla inveniatur, quae inscriptionem habeat τῶν Ἀθηνέων ἄθλόν εἰμι, eas neque Athenis factas neque in Italiam importatas, sed in ipsa Etruria ab artificibus Graecis ad exemplar Atheniense effictas depictasque esse veri simillimum est; quae res etiam eo confirmatur, quod Athenis nulla adhuc amphora Panathenaica inventa est, quae haec verba offerat: τῶν Ἀθήνηθεν ἄθλων.

Denique, priusquam ad ipsos ludos gymnicos

eorumque varia genera describendos transeamus, de harum amphorarum usu pauca mihi adiicienda sunt [36]). Qui usus non minus ex utroque inscriptionum genere, quam e locis ipsorum scriptorum aperte elucet. Pindarus [37]) enim eiusque scholiastae aliique veterum tales amphoras, oleo sacro repletas, victoribus Panathenaicis praemio publice datas esse uno ore tradunt. Vasa autem ipsa nihil nisi quasi involucra praemii sunt, cuius summa erat fructus olearum, Minervae sacrarum. Quae oleae, Μορίαι vocatae [38]), primum quidem in arce collocatae erant, ubi Minerva, quum e certamine cum Neptuno de terra Attica orto victrix discessisset, oleam produxit. Quam Minervam Poliadem esse appareret et ex historia ab Herodoto [39]) de Epidauriis narrata, et ex olea ipsa, quae in templo Erichthonii cum Poliade arctissime coniuncti, posita erat. Praeterea etiam facile intelligitur oleam a Minerva productam nihil nisi terrae Atticae fertilitatem significare. Postea vero oleae sacrae in Academiam translatae sunt [40]). Bene est autem animadvertendum, in oleo maxime situm fuisse praemium, non in amphora; nam in aliis ludis gymnicis persaepe tales amphoras oleo non re-

36) De quo vasorum Panathenaicorum usu tam diserte docteque disseruit Broendstedius (on Panathenaic Vases. Transactions of the R. Society of Litt. of the United kingd. Vol. II. P. I.), ut hanc rem brevissime tractare possimus.

37) Nem. X. 35. 36. ibiq. Schol. et Dissenii expl.

38) Suid. et Hesych. s. h. v. Aristot. ap. Schol. Oed. Col. 693. Schol. Ar. Nub. 1005.

39) V. 82.

40) Istrus ap. Schol. Oed. Col. 730. Suid. l. c.

pletas praemio datas esse legimus, sicuti Aiax in certaminibus in honorem Patrocli defuncti institutis vas aureum praemio accepit [41]), atque in ludis Pythiis chytras, quibus frondes laureae immittebantur, praemium fuisse supra dictum est. Itaque quum vasa et per se certaminis symbolum sint, id quod videmus ex notis illis Callimachi [42]) versibus, non immerito etiam chytras illas, quas in duabus amphoris Panathenaicis supra commemoratis columnis impositas videmus, iam per se certaminis symbola esse credimus. Namque etiam in gemmis sculptis Musei Stoschiani [43]) iuxta discoboli pedes vasa collocata sunt, sed utrum hae gemmae ad Panathenaicos ludos referendae sint, an ad alios, difficile est diiudicatu, quum argumenta necessaria in hanc rem nos deficiant. Atque scholiasta Pindari modo laudatus victoribus tantum Panathenaicis oleum Athenis exportare licuisse dicit, quae tamen verba aperte ita intelligenda sunt, ut edicto sancitum esset, ne quis praeter victores Panathenaicos fructum olearum, Minervae sacrarum, Athenis exportaret, quum Plutarchus [44]) Solonem Atheniensibus olei exportandi potestatem dedisse tradat. Quae verba scholiastae si ita explicas, illius interdicti sensum finemque recte intelliges, nam si oleum illarum arborum consecratum, exportatum esset, victoribus facile non suffecisset.

41) Hygin. fab. 273.
42) Ap. Schol. Pind. Nem. I. c.
43) Cl. 5. n. 23. 25.
44) Solon. c. 24. cf. Boeckh. Staatsh. I. p. 45.

The borrower must return this item on or before the last date stamped below. If another user places a recall for this item, the borrower will be notified of the need for an earlier return.

Non-receipt of overdue notices does ***not*** *exempt the borrower from overdue fines.*

Harvard College Widener Library
Cambridge, MA 02138 617-495-2413



Please handle with care.
Thank you for helping to preserve library collections at Harvard.